A juriſdictio; quidam enim majus, quidam minus imperium, aut etiam ſimplicem habent juriſdictionem.

Judex delegatus eſt is, qui juriſdictionem non ſuo jure, ſed alieno beneficio habet. Horum quidem alii à fortuna, ſeu culmine imperiali dati, ſimplici alii appellatione principis delegati, quidam ex ſacra juſſione dati, quidam pedaneo. *De quib. Cantiuncula affatim refert*. Sunt & Judices ex officio, quos arbitros appellamus, electi à litigantibus, dicti ab arbitrando, hoc eſt exiſtimando; neque enim illi judicant, prout eſt juris, ſed prout ipſis videtur æquum. Arbitrium Græci vocant διαιτητὴν.

Judex, Cognitor controverſiæ, & diſceptator, quaſi jus dicens aut jure diſceptans, Græc. κριτὴς δικαστὴς, Hebr. *Dattan*, qui componit lites, vindex, protector juris, à verb. *Din*, dijudicavit, contentiones forenſes vindicavit, contendit cum adverſantibus, exequutus eſt judicium. Idem ſignificat, quod *Dan*. Hinc δινάζω, δεινάζω, contendo, expropero injuriam. Et Latinum vindex, vindico. *Gen.* 15. 14. *Jer.* 5. 4. *à fine Pſ.* 68. 6. Hebr. etiam *Miophat*, & judex *Scophet*, à verbo *Scaphat*, judicavit, dijudicavit, jus dedit. Eſt vox generalis, & quia in judicio duæ ſunt partes litigantes, quarum alteram juſtam, illamq; abſolvendam, alte- B ram verò injuſtam, hancque condemnandam eſſe, neceſſe eſt, ideò accipitur verbum *Schaphat* aliquando ſpecialiter pro defendere, ſeu vindicare bonos, & aliquando pro punire, & condemnare ſontes, & injuſtos. Cognationem habet cum *Schebet*, id eſt, virga, baculus, ſceptrum judicis inſigne, & judicii nota.

Judicium, κρίσις, δίκη, præterquam quòd ſit determinatio juris, ſive ſententia Judicis, accipitur communiter pro ea animi virtute, vel ſententia, qua decernimus, quid amplectendum, quid fugiendum, & vera à falſis, utilia à noxiis ſeparamus, ac nos ipſos, vel alios inſtruimus rationibus utrinque diſcuſſis. Unde etiam in priori acceptione definitur, legitima diſceptatio duorum aut plurium coram Judice. Omnia enim judicia, ait *Cic. pro Cecinna*, aut diſtrahendarum controverſiarum, aut maleficiorum puniendorum cauſa reperta ſunt.

* AD JUDICEM ET JUDICIA, REQUISITA, EORUMQUE ABUSUS.

Quatuor modis humanum judicium perverti, Anſelm. tradit, timore, cupiditate, amore, & odio, *de ſimit. mundi*: nihil adeò lucet in Judice, quàm ſic amare, & exhibere juſtitiam ſine omni acceptione perſonæ. Ita Cicero dixit, Exuit perſonam Judi- C cis, quiſquis amicum induit. Æquitas, cui judex obſequitur, ſiniſtram odii vel amoris dextram neſcit. Nam talis debet eſſe juris miniſter, ut in ejus manu nullius auctoritate perſonæ titubet, aut vacillet libra juſtitiæ. *Pet. Rav. in quad. ep.*

Officium officialium eſt hodie, jura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, verſutias concinnare. *Pet. Bleſen.*

Eſt ſapientis judicis, meminiſſe ſe hominem, cogitare ſibi tãtum eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit, & creditum. Et non ſolùm ſibi ſoli poteſtatem eſſe datam, verùm etiam fidem habitam eſſe: meminiſſe, poſſeſquem oderit, abſolvere, quẽ non oderit, condemnare, & ſemper non quæ velit ipſe, ſed quid lex & religio cogat, cogitare. Animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſt. verſetur. Cum hæc ſunt videnda, tum illud eſt hominis magni judicii atque ſapientis, habere in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem; libidinem autem, & invidiam; metum, cupiditates omnes amovere, maximi æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nob. divelli non poteſt. *Pro Cluent.*

D Cum judici dicenda ſententia eſt, meminerit ſe Deum habere teſtem, id eſt, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius. 3. *Offic.*

Eſt ſapientia judicis in hoc, ut non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat, ponderet; nec quantum ſibi permiſſum, meminerit, ſed etiam quatenus commiſſum ſit. *Pro Rabir. Poſth.*

Laborare debent judices, non modò quid dicant pro teſtimonio, ſed etiam quibus verbis utantur, ne quid minùs moderatè poſitum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapſum verbum eſſe videatur. Vultu autem laborare, ne qua ſignificari poſſit ſuſpicio cupiditatis, ut & cum prodeunt, exiſtimatio ſit quædam tacita de illis pudoris, ac religionis; & cum diſcedunt, ea diligenter conſervata, ac retenta videantur. *Pro Font.*

Neque contra Rempublicam, neque contra jusjurandum, ac fidem amici cauſa vir bonus faciet, nec ſi judex quidem erit de ipſo amico; ponit enim perſonam amici, cum induit judicis. Nam ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt. 3. *Offic.*

Senec. Med.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus eſt. E

Hor. 4. Carm.

Vindex avaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecunia,
Conſulque non unius anni.
Sed quoties bonus, atque fidus
Judex honeſtum prætulit utili, &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu, & per obſtantes catervas
Explicuit ſua victor arma.

Ovid. 1. Triſt. 1.

Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
Quærere, quæſito tempore tutus eris.

* DE JUDICIBUS ET JUDICIIS.

APOPHTHEGMATA ETHNIC.

C. LUCILIUS dicere ſolebat, nolle ſe ſua ſcripta legi, nec à doctiſſimis, nec ab indoctiſſimis, quòd hi nihil intelligerent, illi plus ſaperent, quàm ut poſſet illorum judicio ſatisfacere. Id exprimebat hujuſmodi trochaico:

Perſium non curo legere? Lælium Decimum volo.

Erat Perſius illius ætatis omnium doctiſſimus habitus, Læ- F lius erat vir bonus, & non illiteratus; ſed nihil ad Perſium. *Refert M. T. cum aliis aliquot locis, tum lib. de Orat.* 2.

PYTHAGORAS, Qui de malis, inquit, pœnas non ſumunt, bonos affici volunt injuriis. *Stob. ſerm. de magiſtr.*

DEMOCRITUS, Damnandi ſunt (ajebat) nec abſolvendi, qui aliquid dignum exitio, aut vinculis, aliave pœna committunt. Si quis verò temerè abſolverit, lucri aut voluptatis gratia, injuſtè facit, & injuſtitiam ei cordi eſſe neceſſarium eſt. *Stob. ſer.* 44.

JAMBLICUS, Malum judicium omnis mali cauſam eſſe dicebat. *Stob. eod. ſerm.*

Q. FLAVIUS apud populum reus actus, accuſante C. Valerio, quum quatuordecim tribuum ſuffragiis damnatus eſſet, proclamavit, Se innocentem opprimi. Cui Valerius æquè clara voce reſpondit, Nihil ſua referre, nocens an innocens periret. Ea vox tam violenta reliquas tribus reo conciliavit, itaque reus, quem proſtratum credebat, abſolutus eſt. *Eraſ. l. 6. apopht.*

CALIDIUS ex prætura Hiſpanienſi accuſatus à Gallis, quum ſenſiſſet judicib. pecuniam contra ſe datam, in eos judices, qui parvo pretio corrupti eum damnaverant, exclamavit: Idoneam mercedem pro meo capite paciſci debuiſtis. *Bruſ. l. 3. c. 10.* G

BIAS dicere ſolebat, ſe malle inter inimicos, quàm amicos judicare. Nam ex amicis alterum prorſus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum fore. *Bruſ. l. 10. c. 10.*

DEMOCRITUS, Optimus (inquit) judex eſſe judicatur qui cito intelligit; & lente judicat. Alterum quidem eſt benevolentiæ, alterum autem diligentiæ exquiſitæ. *Ant. ſerm. de incorr. iudic.*

Idem addebat, nihil inconſideratè agendum in judicio, ſed priùs deliberandum; nec cogitatione feſtinandum, ut aliquid plus, quàm licet, detur; nec lentè & cunctanter appetitio accuratè exercenda eſt, nec ad gratiam immutanda, nam inconſtans, & levis temerario deterior eſt. *Eod. ſerm.*

THEMISTOCLES oratus à Simonide poeta, ut amicum non adeò juſtam cauſam habentem, quàm commendatiſſimum haberet, reſpondit: Nec Simonidem fore bonum poetam, niſi mẽſuram modumq; in canendis carminibus, quę ſcribebat, curaret, neque ſe bonum prætorem habitum iri, ſi legibus, ac juſtitiæ, alicujus gratiam præpoſuerit. *Fulg. l. 6. c. 4. & Plut. in apopht.*

ARCHITAS dicebat, judicem, & iram idem eſſe, pariter n. ad utrumq; confugiunt, qui injuria afficiuntur. Sentiens, tales oportere judices eſſe, ut oppreſſis ſint præſidio. *Refert Ariſt. Rhet.* 3. H

ARISTIDES quum inter duos privatos cauſam cognoſceret, & alter quòd Ariſtidem irritaret in adverſarium, extra cauſam multa commemoraret, quibus ille læſiſſet eum; Ariſtides interpellans hominem, Iſta nunc, inquit, miſſa fac bone vir, & ſi quid te læſit, eloquere; tibi enim in præſentia, non mihi judex ſedeo. *Pl. in Ariſt.*

Cuidam ab Alcamene ſciſcitanti, quamobrem ſeniores apud Lacedæmonios, plures dies ſumerent ad cognoſcendum in cauſis capitalibus? & ſi quis fuerit abſolutus, nihilominùs obnoxius ſit legi? Ideò, inquit, pluribus diebus cognoſcunt, quoniam ſi capitis diſcrimine erraverint, non eſt corrigendi conſilii poteſtas: oportet autem à cauſa liberatum, obnoxium manere legibus, quo fit, ut ſecundùm eandem legem liceat aliquid rectiùs de reo ſtatuere. Hoc temperamento proviſum eſt, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens, qui quamvis errore judicum ſit abſolutus, poteſt eadem denuò conveniri, pœnaſque dare legibus. *Plut. in Lacon.*

LYSIAS dicebat, judices eadem mente prædictos eſſe debere, qua legiſlatores. *Stob. ſerm. de magiſtr.*

A Idem interrogatus, cur munera à Meſſenis oblata non accepiſſet? Quoniam in leges juſtitiæ graviter peccaſſem, inquit. Maluit vir prudentiſſimus bona conſcientia judicare, quàm propter munuſcula à juſtitiæ tramite turpiter diſcedere. *Plut.*

Ageſilaus cum in cauſa quadam judex eſſet, & is qui accuſabat, rectè dixiſſet, patronus verò malè, qui tamen ſubinde repeteret Ageſilaum decere, ut legibus opitularetur, perinde ac ſi optimam haberet cauſam; hominis improbitatem reprehendens, ait: Si quis domum tibi oppugnaret, aut veſtem arriperet, num expectares, an architactus aut ſartor tibi eſſet auxilium laturus? Quo dicto indicabat, judici nequaquam convenire, ut opituletur iis qui contra leges aliquid delicti admiſerunt. *Plut in Lacon. apopht.*

Hippodromus Sophiſta, Clementi tragœdiarum actori longè præſtantiſſimo quum apud Amphyctiones optimè regeſta negata eſſet victoria, quòd Byzantinus eſſet, atque id temporis Byzantium à Romanis obſideretur, proſiliens clamavit: Valeant appellantes, ac perperam de re judicantes: Ego, inquit, Clementi victoriam decerno. Quum alter hiſtrio appellaſſet Cæſarem, obtinuit Hippodromi ſuffragium. *Philoſtr. in Sophiſtis.*

EPICTETUS, Nihil eſt, inquit, quod eum qui præeſt magis de- B ceat, quàm ut neminem vel ſuperbè contemnat, vel indecorè admiretur, ſed ex æquo omnibus præſit. *Nat. ſerm. de iud. incorrupt.*

Sequentia dicta etiam ejuſdem ſunt. Sicut vera trutina, neq; à bona, & concinna corrigitur, neque per falſam examinatur: ſic etiam juſtus judex, neque à juſtis caſtigatur, neque apud injuſtos judicatur. Minimè in juſtitiis delinques, ſi ipſe in vitá tua delicta caveris. Melius eſt ſententia juſtè pronunciata reprehendi ab eo qui merito ſuo damnatus eſt, quàm ſi injuſtè judicaveris jure à natura vituperari. Quemadmodum Lydius lapis judicat aurum, non autem ab auro examinatur, ſic & homo qui judicandi facultate pollet. Turpe fuerit judicem ab aliis judicari. *Stob. ſerm.* 9.

PHILIPPUS Macedo Machetæ cujuſdam pro tribunali ſedens cauſam cognovit, ſed dormitabundus, nec ſatis attentus ad juris æquitatem: itaque ſententiam tulit adverſus Machetam. Verùm quum is exclamaſſet, ſe ab ea ſententia appellare, rex iratus, ad quem, inquit; nam appellandi verbum monarchis eſt inviſum. Hic Machetas, ad teipſum ò rex, inquit, ſi expergiſcaris, & attentiùs audias cauſam. Ac tum quidem ſurrexit rex. Cæterùm po- C ſteaquam cauſam apud ſe meliùs perpendiſſet, intelligeretque Machetæ factam injuriam, judicata quidem non reſcidit, ſed pecuniam, qua damnatus fuerat Machates, ipſe perſolvit. In uno facto quot regiæ virtutis argumenta? Non perſeveravit iraſci & provocanti, & ſomnolentiam publicè obiicienti, ſed per otium rem animo accuratiùs conſideravit, jam ab ira liber. Sit hoc civilitatis regiæque moderationis: Illud verò prudentiæ, quòd ingenioſo commento ſic damnatum exemit damno, ut regiam tamen in judicando auctoritatem non proderet: mulctam privatim, perinde quaſi ipſe damnatus eſſet, diſſolvit. *Plut. in apoph.*

Idem Harpalus pro Cratere propinquo ac familiari ſuo, qui injuriarum poſtulabatur, petiit à Philippo, ut reus mulctam quidem ſolveret, ſed à cauſa liberaretur, ne damnatus hominum maledictis exponeretur. Hìc verò Philippus: Præſtat, inquit, ut ipſe malè audiat, quàm ut nos propter illum. Indulgebat amicis, ſed quatenus licebat, integra judicis opinione. *Plut.*

Duo pariter ſceleroſi ſeſe invicem accuſabant, cognoſcente Philippo: rex audita cauſa pronunciavit, ut alter exularet in Macedoniam, alter illum inſequeretur. Hoc Græcè ſonat jucundiùs, quòd φεύγειν & ad fugientem pertineat, & ad exulan- D tem, fugientem autem inſequimur. Neutrum igitur abſolvit Philippus, ſed utrumque damnavit exilio. *Plut.*

ALEXANDER orante accuſatore, altera manu aurem ſolebat occludere. Interrogatus, cur id faceret? reſpondit. Defenſori etiam dandus eſt audiendi locus. *Antoninus in Meliſſa p. 2. ſer.* 53. *Plut. ſic recenſet*. Initio quum in cauſis capitalibus ſederet judex, accuſatori alteram aurem occludebat: rogatus, cur id faceret? Alteram, inquit, integram ſervo reo.

Frater Antigoni Marſias litem habebat, ſed à rege poſtulabat, ut cauſa domi cognoſceretur: Cui Antigonus: Si nihil, inquit, præter jus agimus, meliùs fiet in foro, cunctiſque audientibus. Non impetravit hoc à rege fraternus affectus, ut vel tantillum de jure concederet. Ipſum autem de hoc dilemmate conſtrinxit: Si injuſtam cauſam habere te ſcis, cur litigas? Sin juſtam, cur fugis hominum conſcientiam, & ad domeſticas latebras rem fori pertrahis? non cariturus ſiniſtra civium ſuſpicione, etiam ſi ob bonam cauſam viceris. *Plut. in apopht.*

ANTIPHON, Si peccandum ſit in judicando, præſtat (inquit) accuſatum abſolvere injuſtè, quàm injuſtè perdere. Illud enim quidem peccatum, hoc verò impietas. *Stob. ſerm.* E

SCIPIO minor C. Livium prætereuntem cum vidiſſet: Hunc inquit, virum ſcio peieraſſe, verùm quoniam nullus illum defert, non poſſum ſimul & accuſator eſſe, & judex. Sit hoc in cenſore moderationis, & juſtitiæ exemplum. *Plut. in apopht.*

M. ANTONIUS dicere ſolebat, privatos quidem homines multos habere judices, principi autem nullum eſſe alium judicem quàm Deum. *Dion. Nicæus, & Xiphilinus in eius vita.*

CHRISTIANORUM.

Ex Apophthegmatibus Laur. Beyerlinck.

Ut ſol non alius pauperi eſt, alius diviti, ſed omnibus communis; ita Judex nec perſonam ſpectare debet, ſed rei æquitatem. Reprehenſus coæternus Dei filius apud homines agens, quòd Sabbatho curaſſet; Nolite, reſpondit, ſecundum faciem judicare, ſed juſtum judicium judicate. Judicare dignè de ſubditis nequeunt (inquit *Greg. in Moral.*) qui in ſubditorum cauſis, vel gratiam, vel odium ſequuntur. *Ioan. cap.* 7.

Quin & verum illud Terentii eſſe, Judicem videre oportere, ne quis accuſandus ſit, idem clarè edocuit, dum ad eum F Scribæ, & Phariſæi adducunt mulierem in adulterio deprehenſam; inclinans enim ſe deorſum, digito ſcribebat in terram: cumque perſeverarent interrogantes, erexit ſe, dixitque: Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat. Quo audito, unus poſt alium abiit. Natura quippè Apophthemaris eſt compeſcere aliis inſultantes. *Ioan. cap.* 8.

Tantum autem meritò judicare cuilibet licere, quantum in ſeipſo expertus eſt, docuit ſuo exemplo Cæcus ille Euangelicus, qui à Domino viſum recepit. Judæi quippè eum vocantes, compellant, Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia homo peccator eſt: qui reſpondit: Si peccator eſt, neſcio, unum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modò video. *Ioan. cap.* 9.

Rogabat Liberium Epiſc. Conſtantius Imper. ſubſcriberet proſcriptioni, & excommunicationi Athanaſii: qui prudenter, & diſcretè, O Imperator, inquit, judicia Eccleſiaſtica decet cum maxima proferri juſtitia. *Trip. hiſt. lib.* 5 *c.* 17.

Boſo Arelatenſem Regem eò juſtiùs libet addere, quòd veræ juſtitiæ judiciique in ſeipſo exemplum exhibuerit. Cùm namque ob alapam Epiſcopo ſuo ſacris operanti inflictam, apud Othonem primum Rom. Imp. capitis damnatus eſſet, & G Archiepiſcopus cum clero pro illo intercederet; ipſemet reus ſe eorundem ſupplicationi opponens: Non eſt æquum, inquit, ut rectum Imperatoris judicium executioni non mandetur, cum non conveniat, vel ullum verbum è principis ore fruſtrà egredi. *Munſt. l. 2. Coſ. de Arelat.*

Clementiſſimus etiam Alphonſus Arag. rex nunquam ita manſuetudinis, & noxiæ lenitatis ingreſſus eſt fines, ut judicii æquitatiſve planè ſit egreſſus. Quare cùm equitum ſuorum quiſpiam multa per luxum, & libidinem abſorbuiſſet, graviter ære alieno opprimeretur; intercedentibus aliis, ne quod ære non poſſet, corpore lueret; reſpondit: Si tantum pecuniæ in ſui regis, aut patriæ commodum expendiſſet, audirem: nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt ut corpore luat. *Panorm. de Geſt. eiuſd.*

Habeat inter cæteros locum Throchonus Gratianopolitani Senatus Præſes. Erat vir nobilis, qui furore potuve percitus, ruſticum enſe diſtricto aggrediebatur. Hic fugam capit, at fruſtrà altero inſtanter eum conſequente: quid faciat? machærã, quam fortè ſecum habebat, educit, minas adiiciens juſtæ defenſioni. Alter vitæ prodigus innocentem urget, & pellit, donec ab eo H ipſo & loco, & vita per machæram pellitur. Res ad Trochonum judicem delata, qui æquitate cauſæ attenta: Licuit, inquit, machæra ſe contra enſem tueri: & id rectè, cùm liceat vim vi repellere, adhibito (ut dicunt Canoniſtæ) inculpatæ tutelæ moderamine.

Adiiciam & aliud facetum. Quodam Principe ad venationem egrediente, Aſtronomus qui fortè in illius aula, rogatus qualis aura futura eſſet, ſerenam prædixit: quod audiens colonus, pluviam afferit, idque evidentibus ſignis. Vix nemora ingreſſus Princeps, denſiſſimus imber oboritur. Laudat itaque colonum ſuum; & ita cenſeo, inquit, aſtrorum curſui poſthac intendat, tu verò (ad Aſtronomum verſus) ad raſtra te promptiùs conferes. Idem *Georgius Sabinus ita expreſſit*:

Dixerat Aſtrologus cœlum ſine nube futurum,
Principe ſilvarum luſtra petente ſuo.
Dixerat è contra ruiturum nubibus imbrem,
Vertere conſuetus bobus arator humum.
Vix ingreſſus erat Princeps nemus ilice denſum,
Cùm ſubitò pluviæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem Princeps, ipſumque docere
Aſtra, ſed Aſtrologum ſumere raſtra iubet.

A
JUDICUM, JUDICIORUMQUE *EXEMPLA
Ex Sacra Scriptura.

Cauſam, quam neſcit judex, debet diligentiſſimè inveſtigare: quemadmodum Job de ſe refert, dicens, Cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè inveſtigabam, *Job* 29. Unde Deus quem nihil latere poteſt, dicitur deſcendiſſe, ut videret civitatem, quam ædificabant filii Adam. Similiter dixit ipſe: Deſcendam, & videbo, utrum clamorem, qui ad me pervenit, opere impleverint. *Gen.*11. *&* 13.

Injuſtè præcepit Judas, Thamar nurum ſuã comburi. *Gen.*33.

Dominus Joſeph, nimiùm credulus verbis conjugis, miſit ipſum in carcerem. *Gen.*39.

Minora per minores judices, & majora per majores debent deffiniri, juxta id quod conſuluit Jetro Moyſi. *Exod.* 13.

De duodecim bobus, & ſex plauſtris, nullum dedit Moyſes filiis Caath, licèt eſſent ſibi propiuquiores, ſed totum dedit aliis Levitis, eò quòd iſti ampliùs indigebant, qui graviora portabant. *Num.* 17.

Conſuluit Moyſes Dominum occaſione filiarum Salphaad B & reſpondit Dominus: Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam ejus tranſibit hæreditas. *Num.*27.

Voluit Moyſes, ut filii Ruben, & cæteri, qui petebant terram jam acquiſitam, armati alios præcederent ad bellum, donec terra alia eſſet penitùs acquiſita. *Num.*32.

Judices & Seniores Iſrael graviores cauſas referebant ad Sacerdotes, ut quibus cum Deo Juſtitiæ fonte res eſſet. *Deut.* 18.

De Filiis Samuel dicitur: Declinaverunt poſt avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 1.*Reg.*8.

Injuſtè protulit David ſententiam contra Miphiboſeth abſentem ad verbum Sibæ, ipſi David xenia offerentis. Veruntamen poſteà cognita veritate, voluit iniquam ſententiam penitùs revocare. 2.*Reg.*16.*&* 19.

Salomon rectè judicavit de duabus mulieribus, quarum quælibet contendebat unius pueri eſſe mater. 3. *Reg.* 4.

Conſtituit Joſaphat rex Juda, judices terræ, præcipiens eis: Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, ſed Dei. Quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. 1.*Par.*19.

Ad ſuggeſtionem Aman, rex Aſſuerus injuſtè dixit de populo: Age quod placet. *Eſth.* 3.

C De judicibus Iſrael dicebat Eſaias: Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillos non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. *Eſ.*1.

Quia Jeremias à Domino miſſus prophetabat Jeruſalem capiendam eſſe à Chaldæis, dixerunt Principes populi Sedechiæ regi: Rogamus, ut occidatur homo iſte; qui reſpondit eis: Ecce ipſe eſt in manibus veſtris, non enim fas eſt regem vobis quicquam negare. *Ierem.*38.

Nabuchodonosor rex Babylonis præcepit, ut perirent omnes ſapientes Babylonis, eò quòd illi ſomnium, quod viderat, non poterant indicare. *Dan.*2.

Quamvis Darius rex Perſarum innocentem ſciret eſſe Danielem, tamen ad inſtantiam Satraparum fecit eum mitti in lacum leonum. *Dan.*6.*&* 14.

Diſcretè examinavit Daniel duos ſenes, qui contra Suſannam iniquum tulerant teſtimonium. *Dan.*13.

D Cùm accuſaretur Menelaus in judicio coram Antiocho, per pecuniam, quam promiſit, abſolutus eſt, & accuſatores ejus iniqua morte damnati. 2.*Mac.*4.

Conqueſti ſunt Judæi coram Antiocho rege de iniqua morte Oniæ. Contriſtatus autem Antiochus, licèt aliàs eſſet malus, Andronicum purpura exutum in eodem loco, in quo ipſum Oniam occiderat, juſſit vita privari. 2.*Mac.*4.

Nimis iniquum protulit Herodes judicium, quando mittens ſatellites, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. *Mar.*12.

Ad petitionem unius ſaltatricis fecit Herodes Tetrarcha Joannem Baptiſtam in carcere decollari, cùm tamen ſciret eum virum juſtum, & ſanctum. *Marc.*6.

Dixit Nicodemus Phariſæis, Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi audierit ab ipſo priùs, & cognoverit, quid faciat? *Ioan.* 7.

Nequiſſimum fuit judicium, quando Pilatus dimiſit Barrabam homicidam, latronem, ſeditioſum, & Dominum Jeſum tradidit voluntati eorum. *Matth.* 27.

Sacerdotibus & magiſtratibus templi denunciantibus Petro & Joanni, ne docerent aliquid in nomine Jeſu, reſponderunt Apoſtoli, dicentes eis: Si juſtum eſt in conſpectu Dei, vos E potiùs audire quàm Deum, judicate. *Act.* 4.

Cùm Paulus ejeciſſet dæmonium à puella pythoniſſa, accuſatus fuit à dominis ejus, quibus illa quæſtum divinando præſtabat. Magiſtratus autem fecerunt Paulum, & Silam virgis cædi, & in carcerem mitti. *Act.*16.

Judæis accuſantibus Paulum, Gallio proconſul dixit: Siquidem eſſet iniquum aliquid, aut facinus peſſimum, ò Judæi, meritò vos ſuſtinerem. Si verò quæſtio eſt de ſermone, & nominibus legis veſtræ, vos ipſi videritis. Judex enim ego horum nolo eſſe. *Act.*18.

Princeps ſacerdotum præcepit percutere os Pauli, tunc Paulus ait: Percutiet te Dominus paries dealbate, & tu ſedens judicas me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti. *Act.*23.

Licèt Paulus coram Felice præſide ſe rationabiliter excuſaſſet, voluit tamen Felix gratiam præſtare Judæis, & Paulum vinctum ſucceſſori ſuo Feſto reliquit. *Act.*24.

Feſtus nolens acquieſcere Judæis, qui petierant, ut Paulum Jeroſolymam ducerent, dixit Paulo: Vis Jeroſolymam aſcendere, & ibi judicari ſuper iſtis? Reſpondens dixit Paulus Ad tribunal judicis ſto, Cæſarem appello. Tunc Feſtus cum F conſilio loquutus, reſpondit: Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis. *Act.*25.

Dixit Feſtus præſes: Non eſt conſuetudo Romanis, damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. *Eodem.*

Auditis rationibus Pauli, Agrippa rex, & præſes Feſtus loquebantur adinvicem, dicentes: Quia nihil morte dignum fecit homo iſte. Agrippa autem Feſto dixit: Dimitti poterat hic, niſi appellaſſet Cæſarem. *Act.* 26.

Historica.
JUDICES VEL ARBITRI PRUDENTES.
In Foro judicia forenſia prudentum.

Forum hic intelligimus non publicum tantùm, ſed & privatum locum, in quo de iure inter ſe diſceptant homines, ſive coram Magiſtratu, & Iudicibus, ſive coram delectis quibuſdam Arbitris (qui temporarii cuiuſdam magiſtratus perſonam ex contendentium voluntate videntur ſuſtinere) cauſa proponatur, diſceptetur, diiudicetur. Huc confer Tit. Humano iudicio abſoluti, quatenus Prudentia in abſolvendo ſpectatur. G

Babylone Seniores duo Judæi Suſannam Joacim conjugem, ut pulcherrimam, ita caſtiſſimam, ad ſtuprum ſollicitarãt. Ea repugnante, interminati ſunt ei, clamore ſublato ſeſe eam in judicium protracturos, tanquam in adulterio cum juvene quodam deprehenſam. At illa ſatius ſibi eſſe reſpondit, in manus hominum, quàm Dei incidere. Protrahitur in judicium: Seniores duo teſtes in eam inſurgunt, condemnatur. Tum Daniel puer etiamnum ſeverè objurgatis Iſraelitis, qui quæſtione nulla habita, inſontem morte plectere cogitarent, permiſſu illorum tribunal conſcendit, & ſingillatim de ſenioribus quæſtionem habuit. Cumque alter ſub lentiſco; alter ſub ilice Suſannam ſe cum juvene adulterantem conſpexiſſe dixiſſet, perfidia illorum cognita, populo lapidibus obruendos tradidit. *Dan.* 13.

Cùm eſſet controverſia inter Calydonios & Eleos, utriq; rem ad arbitrium Bunæ cujuſdam Athenienſis detulerunt. Convenerat autem, à manibus temperarent, donec ille de negotio pronunciaſſet. Quod ubi ſenſiſſet Bunas, de induſtria audiebat quidem utranq; partem, cæterùm per fictas occaſiones rem in lon- H gum diſtulit, nec unquam de lite voluit pronunciare. Hinc proverbio, Bunas judex eſt. Mnaſeas apud Zenodotam. *Eraſmus in Adag.*

Cùm quidam meretricem Ægyptiam Thonidem amaret, popoſcit illa ingentem pecuniæ ſummam. Adoleſcens inde, cum in ſomnis ſibi viſus eſſet cum illa concumbere, liberatus eſt libidine. Ob id mercedẽ ab illo inſtitit Thonis judicio exigere. Cognita cauſa, juſſit Bocchoris illi, quantum poſtulaverat Thonis argenti, in vaſe numeratum, huc atque illuc manu jactare, ac meretricem umbra frui, quòd veritatis opinio umbra ſit. Hanc ſententiã cenſuit Lamia, quam Demetrius Poliorcetes deperibat, licèt vetulam, iniquam eſſe. Neque enim, inquit illa, ademit meretrici umbra pecuniæ cupiditatem, ſomnium verò amore adoleſcentem expedivit. *Pl. in Dem.*

Apud Perſas lex erat humanitatis plena, ut ſi quis de crimine aliquo convictus eſſet, non priùs condemnaretur, quàm tota ejus reliqua vita probè à judicibus expenſa eſſet. Nam ſi cætera probus, in hoc tantùm facinore peccaſſet, humanæ fragilitati veniam dabant, & quamvis noxium abſolvebant: Sin verò multis aliis vitiis vita ejus obnoxia foret, omnium calculo damna-

A damnabatur, quòd non caſu, ſed habitu, deditaque opera malus eſſe videretur.

Artaphernes patruus Darii filiorum, conſtitutus judex inter Arthemenem, & Xerxem Darii filios, Xerxi ob dona innata regnum adjudicavit. *Herod.lib.7.& Plut. in Artoxerxe.*

Satyrus, Eumelus & Prytamis, Paryſadæ Boſphori Cimmerii regis (filiorum enim nomina ſequenti ſeu hiſtoriæ, ſeu fabulæ quidam veluti larvas induxere) de regno contendebant, quod ſibi, & virtute, & patris defuncti benevolentia, deberi pro ſe quiſque aſſerebat. Ariopharnis Thracum regis conſilio uſi, patris cadaver ex ſepulcro eruunt, arbori alligant, arcu contendunt, ut qui parentis cor ſagitta transfixiſſet, verus regni hæres judicaretur. Major mediuſque natu, directis arcubus, ille quidem guttur, hic verò pectus medium, illæſo adhuc corde, tranſfigit. Natu minimus Eumelus, etſi ſpes adhuc ſcopum attingendi ſupereſſet, crudelitatem & impietatem tantam deteſtatus, regno ſe fratribus cedere maledixit, quàm in patris cadaver impiè ſævire. Hoc audito, rex ille Barbarus dignum eſſe judicavit, qui ſolus patri in regno ſuccederet, cùm & virtute, & paterna benevolentia cæteris duobus ſe ſuperiorem eſſe, hoc ipſo manifeſtè B oſtendiſſet. Quinetiam fratribus duobus hoc judicium reprehendentibus, Eumelum armis ſuis eò uſque juvit, quoad Satyro & Prytami interemptis, regno potitus eſt. Ne exemplum hoc ἀδέσποτον eſſet, nominibus ex Diodoro mutuatis cohoneſtavimus, qui de horum fratrum bellis lib. 20. fusè tractat.

Apud Athenienſes, cùm puer laminam, quæ ex Dianæ corona deciderat, ſuſtuliſſet, in judicium adductus eſt. Areopagitæ igitur, crepundia, talos & laminam auream propoſuerunt puero. Qui cùm ad aurum inclinaret, plexus eſt, tanquam ſacrilegus: neque ætati veniam dederunt, ſed flagitium, & ſcelus vindicarunt. *Ælian. lib.5. de Varia hiſt.*

Iidem puerum, qui oculos omnibus cornicibus, quas habere poterat, eruere ſolebat, indolis improbitatem deteſtati, è medio ſuſtulere. *Quintilianus l.5.cap.9.*

Eripuerant Athenienſes Megarenſibus Salaminem. Cæterùm Megarenſibus inſulæ obſeſſioni adhuc incumbentibus, poſt multas, & varias utriuſque civitatis clades, apud Spartiatas judicio eſt utrinque certatum; in quo major adhuc gloria Soloni quæſita eſt. Fertur in Salamine vindicanda Homeri teſtimonio uſus. Poetæ carmen fuit in Bœotia, ſive Catalo- C go navium:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγε δυοκαίδεκα νῆας,
Στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες.
Biſſenis Salamine Aias cum manibus ibat,
Cecropidum quo caſtra loco poſuere phalanges.

Peleum prætereà, & Euryſacem Aiacis filios, civitate ab Athenienſibus donatos, & ab his inſulam dono acceptam, & illud additum, quòd Salaminii Athenienſium morem ſecuti, defunctos, cùm humi conderent, ad occidentem, non ad orientem, ut Megarenſes, ora verterent. Pythium præter cætera oraculum Athenienſium cauſam juviſſe fertur; cujus voce Jonica Salamis appellata eſt. *Sab. lib.5.*

Arrhachion Phigalenſis ex Arcadia, in Pancratio Olympico, cùm victis aliis adverſariis, unus, quo cum de oleaſtro certaret, relictus eſſet; ille eodem impetu, & pedibus Arrhachionem incinxit, manibus collum obſtrinxit. Ejus digitum Arrhachion pedis infregit, & dum ſtrangulatus jam animam ageret, præ digiti dolore adverſarius eo temporis momento corruit. Elei itaque Arrhachionis cadaveri victoriam præconis voce adjudicarunt. Statuam ei in foro Phigalenſes poſue- D re. *Pauſanias in Arcadicis.*

Nemeis ludis, cùm Creugas, & Damoxenus Syracuſanus diem pugilatus ad Veſperum exemiſſent, inter eos ita convenerat, audiente tota corona, ut viciſſim alter, in quam juſſus eſſet, corporis partem, ſingulas alterius plagas acciperet. Tunc quidem Creugas prior Damoxeno in caput plagam inflixit. Juſſit hic illum manum immotam ſuſtinere. Quo facto, Damoxenus infeſtis digitis partem alui petiit, quæ infra coſtas eſt. Ea verò fuit cùm unguium duritia, tum incurſionis impetus, ut immiſſis utrinque manibus viſcera apprehenderit, eaque dilaniata extraxerit. Expiravit ſtatim Creugas. At Argivi Damoxenum, quòd pactis non ſtetiſſet, quippè, qui non uno, ſed pluribus vulneribus adverſarium confeciſſet, exilio multarunt. Creugæ jam mortuo palmam detulerunt, eidemque ſtatuam Argis poſuerunt. *Idem.*

Erant Mileſiorum res domeſticæ ſeditione concuſſæ. Poſtremò malorum, quæ invicem perpeſſi fuerant, ſatietate capti, Parios domeſticarum contentionum arbitros Mileſii fecerunt. Hi quum Miletum veniſſent, omniaque ruinis oppleta cernerent, campeſtrem regionem perluſtrare ſe velle pronunciarunt. Ibi ſi qua prædia nitidiore cultu oculis occurrebant, eorum, qui E poſſiderent, nomina perſcripſere: mox in urbem reverſi, populoque ad concionem vocato, urbem his miniſtrandam commiſere, quorum fundos optimè cultos inveniſſent, præfati, videri ſibi eos ita publica ut ſua curaturos. Cæteri quorum res incultæ repertæ ſunt, quia ſeditionum ſtudioſi propria neglexiſſent, melioribus parerent. Atque in hunc modum Parii Mileſiorum civitatem, utili ad civilem vitam inſtituendam exemplo, compoſuiſſe dicuntur. *Sab.lib.8.En.2.ex Herod.lib.5.*

Alexandridas roganti eum, quid cauſas capitales Senes pluribus diebus diſceptent, atque ut noxa quis liberatus ſit, nihilominùs maneat reus? Multis, infit, diebus diſceptant, quòd ſi in re capitali titubent, non ſit ad pœnitentiam regreſſus; legibus autem obnoxium eſſe oportet, quòd hac ex lege liceat etiam rectius conſilium capere. *Plut. in Apopht.*

Cùm Lacedæmoniis lex eſſet, ut hoſtias niſi ad ſacrificium quoddam redemptor præbuiſſet, capitale eſſet, hoſtias is qui redemerat, cùm ſacrificii dies inſtaret, in urbem ex agro cœpit agere. Tum ſubitò magnis commotus tempeſtatibus fluvius F Eurotas, is qui prope Lacedæmonem fluit, ita magnus, & vehemens factus eſt, ut eo traduci victimæ nullo modo poſſent. Redemptor ſuæ voluntatis oſtendendæ cauſa, hoſtias conſtituit omnes in litore, ut qui trans flumen eſſent, videre poſſent. Cùm omnes ſtudio ejus ſubitam fluminis magnitudinem ſcirent fuiſſe impedimento, tamen quidam eum capitis accerſierunt; nam ut ut ſit, quia factũ non ſit, quod lex jubet, eum ſupplicio dignum eſſe. At quia crudele eſt, caſus, qui vel à ſapiente prævideri non poſſunt, hominibus imputari, mea quidem ſententia reum abſolvi placet. Sufficit enim Ciceroni genus controverſiæ propoſuiſſe, non etiam, quid in re certè non ficta placuerit, in medium adducere. *P. Ærod. ex Cic.l.2.de In.*

Pſammi filio Pſammetichi apud Ægyptum regnante, nuncii Heliorum è Græcia dimittebantur, jactantes, à ſe in Olympia juſtiſſimum, ac maximum inter mortales propoſitum eſſe certamen, rati, ne Ægyptios quidem hominum ſapientiſſimos aliquid ultra hæc eſſe inventuros. Iſti ubi in Ægyptum pervenerunt, eaque expoſuerunt, quorum gratia venerant; Rex convocat ex Ægyptiis eos, qui ſapientiſſimi haberentur. Qui cùm conveniſſent, & Helios audiſſent omnia commemorantes, quæ G par erat ab eis fieri in edendo certamine, & ſe veniſſe dicentes ſciſcitatum: Nunquid poſſent Ægyptii reperire juſtius habito inter ſe conſilio; interrogabant Helios: Nunquid apud eos certarent cives? Et illis reſpondentibus, ſine diſcrimine, & ſuorum, & cæterorum Græcorum, cuicunque volenti certare fas eſſe: Atqui, inquiunt, illos, cùm tale certamen proponant, ab omni jure excedere: Nullo etenim pacto poſſe fieri, quin concivi pugnanti cives faverent, facientes injuriam hoſpiti. Sed ſi vellent juſtum proponere certamen, & ſi ejus gratia veniſſent in Ægyptum, juberent hoſpitibus ponere certamen, nullo Heliorum certare permiſſo. *Herod. lib.* 2.

Lex apud Rhodios fuit, ut ſi qua roſtrata in portu navis deprehenſa eſſet, ea publicaretur. Cùm igitur magna in alto tempeſtas eſſet, vis ventorum, invitis nautis, Rhodiorum in portum navim coegerat. Quæſtor navim Populi vocavit; nam roſtratam in portu deprehenſam eſſe. Navis dominus negabat publicari oportere, quia vi majore, ac neceſſariò in portum coacti eſſent: itaque non videri contra legem quid feciſſe, cujus ſi, ut in omnibus, voluntatem ſpectari placet, mens ea certè nun- H quam fuiſſe dici poteſt, ut qui culpa careat, ſupplicio ac fraude non careat; nam hoc nihil indignius eſſe, niſi ex ſuo quoque nomine placeat communem omnium hominum infirmitatem condemnari. Quæſtor rurſus, nullam non relinqui peccandi poteſtatem, ſi ſemel inſtitutum ſit, ut non de facto, ſed de facti cauſa quæratur: Navem τῇ δυνάμει in portum eiici, & ſi tum fortaſſe prohiberi non potuit, id tamen antea evitari, ac multis rationibus præcaveri potuiſſe. Attamen ex Alfeni Vari ſententia, ad ſimilitudinem navis onuſtæ cotibus, quæ antè Idus Martias ex portu Cretæ profecta, & à vento in portum delata, iterum poſt Idus Martias adverſus legem profecta fuerat; nos quoque à Rhodiis ita judicandum eſſe interpretabimur, Navim commiſſam eſſe non videri: inquit *P. Ærod. ex Cic. lib.* 2. *de Invent.*

Æſtivo tempore adoleſcentes urbani, cùm Hoſtiam veniſſent, litus ingreſſi, piſcatores trahentes rete adjerunt, pactique jactum retis quanti emerent, pretium numerarunt. Hi cùm diu expectaſſent, dum retia extraherentur, tandem nullus quidem piſcis apparuit, ſed ſporta auri obſuta. Hunc emptores bolũ ſuũ dicere, piſcatores ſuum. Hanc ſanè controverſiam ex veritate, ac re, quæ recens accidiſſet (ut aliàs plerunque) è medio foro in ſcho-

A ſcholam traductam eſſe, & ibi ſæpiùs agitatam, ſcribit Svetonius Tranquillus; ſed quid in ea aut viſum aut judicatum ſit, omninò prætermittit. Fuiſſe verò jurgium hoc ambigui juris, atque indifficilis, ex Mileſiorum decreto facilè cognoſci poteſt. Nam cùm anteà genus idem cauſæ apud Coos accidiſſet, nempè ut cum Jonici adoleſcentes jactum retis à piſcatoribus comparaſſent, extracta magni ponderis aurea menſa, ſive tripode, Coi propter novitatem rei, & magnitudinem pecuniæ ad Miletum Jonum metropolim negotium rejeciſſent, vix quid in eo ſequerentur, Mileſii habuerunt. Itaque conſuli placuit Apollinem Delphicum. Reſpondit, neutri, ſed ei, qui in tota Græcia ſapientia præſtaret, dandam eſſe. Ergo omnium conſenſu Thaleti conceſſa eſt, ille contra ceſſit eam Bianti, Bias Pittaco, hic aliis, ſic ut deinceps per ſeptem ſapientum ordinem ad Solonem perveniret. Is rectè affirmans, Deum ſolum ſapientem eſſe, Apollini conſecravit. *Sveton. de illuſt. Rhet. Val. Max. lib. 4. c. 1. Laert. lib. 1.*

Senatus Romanus Tiberium Gracchum tribunum plebis Agrariam legem promulgare auſum, morte multavit. Idem tamen, ut ſecundùm legem ejus per Triumviros ager populo B viritim divideretur, egregiè cenſuit. Siquidem graviſſimæ ſeditionis eodem tempore, & auctorem, & cauſam ſuſtulit. *Val. Max. l. 7. c. 2.*

Idem Senatus, cùm ob nimis aſperè actam cenſuram à Cn. Bebio Tribuno plebis, Cl. Nero & L. Salinator Coſſ. pro Roſtris agerentur rei, cauſæ dictione decreto ſuo liberavit, vacuum omnis judicii metu eum honorem reddendo, qui exigere deberet rationem, non reddere. *Ibidem.*

C. Cælius judex abſolvit injuriarum reum, qui Lucilium poetam in ſcena nominatim læſerat; exiſtimavit enim, inter eos quibus propria maledicentia, & invidia eſt, hanc nominationem non ad injuriam, ſed ad æmulationem pertinere: denique qui ſolitus eſt maledicere, ut idem de ſe dicatur prius, jure tolerare poſſe. At P. Mutius contrà mimum, qui Lucium Accium Poetam in ſcena nominaverat, cùm nihil aliud defenderet, niſi licere eum nominare, cujus nomine ſceptra dentur in vulgus, hoc ipſo condemnavit; habita videlicet perſonæ, temporis atque loci conditione, quæ à mimo, & de ſcena, atque in conſpectu totius Populi Romani, dum res non ſe- C ria, ſed ludicra agitur, quemquam eximium virum nomine compellari non patiuntur. Nam ſi plures inſtrumentis legi ſua nomina moleſtè ferunt, quantò magis ea à mimo pronunciari? *Paulus Ærodius ex auctore ad Herennium lib. 1. & 2.*

Ex parvulorum interrogatione, nedum minorum viginti annis, quos vel citari in teſtimonium prohibemus, certa nihilominus plerumque probatio inducta eſt, quamvis nullis extrinſecùs argumentis accuſatio impleatur, atque (quod majus eſt) id ætatis uno teſte reum peragi aliquando accidit. M. Cl. Marcellus, cùm ædilis curulis eſſet, filium habebat Marcum cùm forma in flore ætatis inſigni, tum moribus, & eruditione rara, ut eum cives admirarentur. Hunc laſcivus, & audax homo amore deperiens, collega Marcelli Capitolinus attentavit. Cujus tentationem adoleſcens primùm per ſe reiicit. Ubi ille eum iterum appellat, defert rem ad patrem. Id iniquo animo ferens Marcellus, accuſat hominem in ſenatu. Qui appellatis tribunis plebis, varia diverticula, varias præſcriptiones molitur, neque his provocationem recipien- D tibus, inficiatione reiicit crimen. Quia verò tentatio Capitolini remotis arbitris fuerat, placuit ſenatui puerum accerſere. Cujus ruborem, & lacrymas præſentis, mixtumque flagrantiſſima ira pudorem cùm cernunt Patres, nullo ultra quæſito judicio, damnant Capitolinum, litemque pecunia æſtimant, ex qua menſam argentariam fecit Marcellus, quam diis dicavit. *Plut. in Marcello.*

Attilii Calatini in lite de jure triumphandi dirimenda prudentiam inter Luctatium conſulem, & Q. Valerium prætorem, *pete ex Tit. Qui triumphare poſſint, aut debeant.*

Livia Auguſta, hærede Tiberio, H. S. Quin. hac nota, Sergio Galbæ legaverat. Sergius petebat ex teſtamento H. S. quingenties. Hæres ex adverſo allegabat, quinquaginta dumtaxat legato contineri; nam ex notata, atque imperfecta ſumma non perſcripta, quod minus eſt, accipiendum eſſe. Pro Galba hoc afferebatur, quod dicimus, hujuſmodi legata ex modo facultatum quas teſtatrix reliquiſſet, ex legatarii dignitate, charitate & neceſſitudine conſiderari; quemadmodum & in dotis repromiſſione, non demonſtrata re, & quantitate, quinetiam arbitrio detracto, & patre, & marito digna dos dicta eſſe intelligitur. Vicit Tiberii ſi non cauſa, certè auctoritas; ita enim mihi placet locum illum potiùs interpretari, quàm ut Tiberium pro hac nota L. hanc C. feciſſe arguamus. E *P. Ærod. ex Svetonio.*

Cùm Nonius, homo Auguſto principi perneceſſarius, veneficii cauſam diceret, dubitaſſe dicitur Octavius, quæ eſſent ſuæ partes, veritus, ne ſi reo ſupereſſet ſua auctoritas, legibus reum eriperet; contra, ne à ſe deſtitutum prædemnare videretur, amicis ita conſentientibus, ſedit in ſubſelliis aliquot horas, verùm tacitus ne judiciali quidem laudatione uſus, ne princeps plus velle videretur, quàm civitatis jura poſtularent. *Sab. lib. 4. c. 4. ex Svetonio.*

L. Cœlius Terracinenſis, cùm cœnatus cubitum in idem conclave cum duobus adoleſcentibus filiis iſſet, inventus eſt mane jugulatus. Cùm neque ſervus quiſquam reperiretur, neque liber, ad quem ea ſuſpicio pertineret; id ætatis autem duo filii propè cubantes, ne ſenſiſſe quidem ſe dicerent, nomina filiorum de parricidio delata ſunt. Nuſquam veroſimile videbatur, auſum eſſe quenquam ſe in id conclave committere, eo potiſſimùm tempore, cùm ibidem eſſent duo filii, qui & ſentire, & defendere facilè potuiſſent. Tamen cùm planum Judicibus eſſet factum, aperto oſtio dormientes eos repertos eſſe, judicio abſoluti adoleſcentes, & ſuſpicione F omni (qua ſola judicium agebatur) liberati ſunt. Nulli enim viſum quenquam eſſe, qui cùm omnia divina, atque humana jura ſcelere nefario polluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuerit, propterea quòd qui tantum facinus commiſerunt, non modò ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt. *Paul. Ærod. ex Cicer. pro Roſcio, de ex Val. Max. l. 8. c. 1.*

Claudius Cæſar feminam non agnoſcentem filium ſuum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit, indicto matrimonio juvenis. *Svet.*

Galba Africæ procoſ. in jure dicendo, cùm de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrinque argumentis, & teſtibus ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari ſolebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelatio ejus eſſet, ad quem ſpontè ſe à potu recepiſſet. *Idem.*

M. Syl. Otho, qui poſteà imperavit, cum adhuc privatam ageret vitam, à duobus de finibus arbiter electus, agrum emit, de quo orta erat controverſia, & alteri contendentium dono dedit, atque ita inter ipſos litem ſuſtulit. *Idem.*

Egnatius Marcellinus Quæſtor in provincia, ſcribam, qui G forte obtigerat, ante legitimum ſalarii tempus amiſit. De eo, quod acceperat ſcribæ daturus, cum intelligeret, ſubſidere apud ſe non oportere, in Senatu quæſitum eſt, quid fieri de ſalario vellet. Hæredes ſcribæ, id reſiduum ſibi. Præfecti, ærario populoque vindicabant. Cælius Strabo ærario cenſuit inferendum. Bæbius Macer hæredib. dandum. Obtinuit Strabo. Sanè à Leone Imp. tandem id ſolis fiſci advocatis conceſſum eſt, ut totius anni commoda, atque ſtipendia, ex quo hoc officium peragere cœperint, ſi moriantur, deferant hæredib. *Plin. Nepos l. 3. epiſt.*

Bithynæ ac Ponticæ civitates, apud C. Plinium Proconſulem ajebant, in exigendis pecuniis, quæ ſibi vel ex locationibus, vel ex venditionibus, aliiſque cauſis deberentur, privilegium competere, eo jure uſos eſſe ſe longiſſimo tempore, ſibique id nec alios anteà Proconſules denegaſſe, quod jus πρωτοπραξίαν appellari ſolet, & eſſe hujuſmodi, ut omnibus aliis chirographariis creditoribus anteponantur, hoc in omni ſua regione pro lege valuiſſe. Creditores contra, ſolùm Principem aut Remp. Romanorum, eamve, quæ principum inſtar, fiſcum, ærarium, H publicam pecuniam habet, iſto uti privilegio, quaſi ſuo quodam jure ob communem utilitatem, videlicet, ut chirographariis, non etiam hypothecariis præferantur: alias omnes civitates eſſe loco privatorum, ideoque à cæteris creditoribus, qui perſonalem actionem habent, cauſam eorum ſeparari non oportere. Fruſtra opponi à Bythynis, & Ponticis civitatibus, eo ſe anteà jure uti conſueviſſe, quia tale ac tantum privilegium nulla civitas aliis modis, in bonis debitoris ſibi acquirere debeat, quàm ſi id nominatim à Principe, non à Proconſulibus acceperit, aut ſpecialiter in unoquoque negotio ſibi fortè de eo jure proſpexerit. C. Plinius Secundus ex ſententia Trajani Imperatoris pronuntiavit, uſum in his rebus atque conſuetudinem citra legem totius Reip. aut Principale beneficium, non valere. *P. Ærod. ex Plin. Nep. lib. 10. Epiſt.*

Cum de jurgio quodam Senatoris Equitiſque Romani, Veſpaſianus Auguſtus ipſe cognoſceret, ac pro Senatore diceretur, tanti ordinis homini quoquo modo factam injuriam ferri non oportere, etſi ab eo cœperit, non ultrò Eques intulerit; ita pronuntiavit, non oportere maledici Senatoribus, reo maledici, civile faſque eſſe. *P. Ærod. ex Svet.*

Mari-

A Maritus quidam hæres uxoris ſuæ, petebat à Suro pecuniam, quàm apud eum depoſuiſſe defunctam ſe tum marito abſente affirmabat, & in eam rem unum teſtem liberti ſui filium produxerat. Apud Procuratorem deſideraverat & quæſtionem haberi de ancilla defunctæ. Surus negabat ſe accepiſſe, & teſtimonium non oportere unius hominis admitti, nec ſolere à quæſtionibus incipi, etſi aliena eſſet ancilla. Procurator quæſtionem de ancilla habuerat. Cùm ex appellatione cognoviſſet, Alexander Severus Imp. pronunciavit, quæſtione illicitè habita, unius teſtimonio non eſſe credendum, ideòque rectè provocatum. *P. Ærodius ex Paulo lib. 3. Decretorum.*

Camelia Pia ab Hermogene appellaverat, quòd diceret judicem de dividenda hæreditate inter ſe, & cohæredem, non tantùm res, ſed etiam libertos diviſiſſe, & alimenta, quæ dari teſtator certis liberis juſſiſſet; nullo enim jure id eum feciſſe, ut libertos quaſi mancipia quædam, aut hæreditaria bona divideret. Nam adeò quoque libertorum omnium hæredes omnes æquè patronos eſſe, ut ſi pater ipſe teſtamento per epiſtolam, aliiſve modis, uni ex filiis libertum aſſignaverit, non B deſinat alterius filii libertus eſſe, quare & aſſignationem, nec quaſi legatum, nec quaſi fidei commiſſum percipi. Ex diverſo reſpondebatur, hæredes conſenſiſſe diviſioni, & multis annis alimenta ſecundùm diviſionem præſtitiſſe. Placuit Alexandro Severo Imperatori, nullam eſſe libertorum diviſionem, quia quod eſt natura indiviſum, ejus partitio facta, nullis modis confirmari poſſit; ſed illud adjecit, ſtandum eſſe alimentorum præſtationi. Nam id fieri ſolet, ut quoties plures ſunt hæredes, ex cauſa alimentorum liberti dividantur, ne à ſingulis hæredibus nominatim alimenta petentes, diſtringantur. *Paulus lib. 1. Decretorum.*

Quidam pupillum filium ſuum hæredem inſtituit, & ſi hæres non eſſet, aut intra pubertatem moreretur, quoſdam ſubſtituit. Pupillus hæres patri extitit, poſt item alia bona ei obvenere, deinde verò mortuus eſt, antequam in tutelam ſuam veniret. De hac hæreditate, quæ pupillo aliundè obtigit, inter eos, qui patris pupilli hæredes ſecundi ſunt, & inter agnatos pupilli, controverſia mota eſt apud Centumviros. Atqui hæredum ſecundorum certè poſſeſſio fuit. Et quamvis duæ ſint quodammodo hæreditates, quia tamen ſeparari non poſ- C ſunt, propterea quòd unum ſit teſtamentum patris & filii, meritò arbitror ſecundùm hæredes pronunciatum eſſe. *P. Ærodius lib. 1. Decret. ex Cic. lib. 1. de Invent.*

Manius Curius à Coponio hæres inſtitutus erat his verbis: Si mihi poſt mortem meam in decem menſibus proximis filius natus erit, hæres eſto. Quòd ſi is, antequam in tutelam ſuam veniat, moriatur: tunc in locum partemque ejus M. Curius hæres eſto. Cùm neque natus eſſet poſthumus, Curius ſecundus hæres, apud Centumviros, & judicante Manilio, petebat hæreditatem. Q. Mutius Scævola pro M. Coponio agnato, negabat, niſi poſthumus & natus, & antequam in ſuam tutelam veniret, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe, qui eſſet ſecundùm poſthumum, & natum & mortuum hæres inſtitutus; itaque M. Curium hæredem eſſe non poſſe, quia conditione deficitur. At contra L. Craſſus dicebat, voluntatem, non verba valere oportere. Hunc teſtatorem, qui ſub hac conditione Curium hæredem eſſe voluerit, ſi poſthumus moriatur, hoc voluiſſe, hoc ſenſiſſe, quoquo modo filius non eſſet, qui in ſuam tutelam veniret, ſive non natus, ſive ante mortuus, Curius hæres ut eſſet. Vicit L. Craſſus, ac fa- D cilè ſententiam ſuam probavit omnibus. Quare ſecundùm Manium Curium pronunciatum eſt, & ideò Paulus libro ſingulari de ſingulis tabulis reſpondit, cùm à poſthumo ita legetur, ſi hæres erit, & non nato poſthumo ſubſtituti adeant, legata eos debere, quæ ille, ſi viveret, debiturus erat. *P. Ærodius ex Cic. lib. 2. de Invent. & lib. 1. & 2. de Orat. & in Bruto, in Topicis, & pro Cæcin.*

Titianus Primus præpoſuerat ſervum mutuis pecuniis damnis, & pignoribus accipiendis. Is ſervus, etiam negotiatoribus hordei ſolebat pro emptore per interceſſionem ſuſcipere debitum & ſolvere. Cùm fugiſſet poſteà ſervus, & is cui delegatus fuerat dare pretium hordei, conveniret dominum nomine inſtitoris, negabat eo ſe nomine conveniri poſſe, quia non in eam rem præpoſitus fuiſſet. Cùm autem & alia quædam geſſiſſe, & horrea conduxiſſe, & multis ſolviſſe idem probaretur: præfectus annonæ contra dominum dederat ſententiam, & is ad Imperatorem Alexandrum provocaverat. Dicebat Ulpianus, Paulus, aliique Juriſconſulti, qui in conſilio aderant, quaſi fidejuſſorem eum videri, cùm pro alio ſolveret debitum; non ſolere autem ex ea cauſa in dominum dari actionem, nec videri hoc dominum mandaſſe, & quòd E alia quædam geſſiſſe probaretur, ne horum quidem gratia dominum, ſi nolit, obligari. Sed quia videbatur, in omnibus quæ & ſoleret ipſe agere, quale hoc unum fuit, ſervum ſuo nomine ſubſtituiſſe, ſententiam conſervavit Imperator. *Paulus lib. 1. Decret.*

Pudente & Pollione Conſulibus in cognitione M. Antonini Auguſti hæc controverſia mota eſt. Val. Nepos Vivium, Zenonem & Leonem hæredes inſtituerat; iiſdem etiam multa prælegaverat: manumiſerat quoſdam, & aliis quoque legata dederat. Poſteà cùm hæredum uniuſcujuſque ſervi, quem liberum eſſe juſſerat, nomina induxiſſet, neque eſſent, qui ab inteſtato hæredes eſſe poſſent, bona ut caduca, fiſci advocati vindicabant. Certè ab Imperatore pronunciatum eſt, hæreditatem ad eos, qui ſcripti fuerant, & quorum nomina Valerius induxiſſet, pertinere non poſſe: cæterùm ut eam advocati fiſci apud ſuos judices peterent, Procuratorem Fiſci aut Rationalem, ſi caducam eſſe intenderent. Sed de legatis dubitatum eſt, & maximè de iis legatis, quæ adſcripta erant Zenoni & Leoni, quorum inſtitutio fuerat inducta. F Dicebat Calphurnius Longinus advocatus fiſci, non poſſe ullum teſtamentum valere, quod hæredem non haberet. Zeno contrà & Cornelianus Priſcianus advocatus Leonis dicebant, Valerium nepotem nomina hæredum tantùm induxiſſe: Id jure ipſo perimi dumtaxat, quod inductum ſit. Antonius Cæſar remotis omnibus, cùm deliberaſſet, & admitti rurſus eoſdem juſſiſſet, ita ſecundùm Marcelli ſententiam pronunciavit: cauſa præſens admittere videtur humaniorem interpretationem, ut ea dumtaxat exiſtimemus Nepotem irrita eſſe voluiſſe, quæ induxit. Cæterùm eum nihilominùs liberum fore, cujus nomen induxerit. *P. Ærodius lib. 1. Decret. ex Marcello lib. 29. Digeſtorum.*

Referebatur de liberis Afranii Dextri Conſulis, incertum ſua, an ſuorum manu, ſcelere, an obſequio perempti. Hos alii poſt quæſtionem ſupplicio liberandos, alii in inſulam relegandos, alii morte puniendos arbitrabantur. Atque in ea erant conditione ſententiæ, ut ſingularum nulla pars alia major eſſet. Itaque in id iri, quod mitius eſt, videbatur oportere, eamque numero ſententiam prævalere, quæ abſolvendos eſſe cenſuiſſet. Contrà puniendos eſſe dicebatur: etenim eorum, qui vindicent, duas partes eſſe, unam dumtaxat eo- G rum, qui abſolvant: ſi in genere pœnæ differant, in eo certè convenire, quòd ambæ animadvertant. Sed poſtquam in ſumma æquitate in ſingulas ſententias iri placuit, ſingulaſque ſeparatim conſiderari, in eam quiſque partem eundo qua ſentiret: propterea quòd nihil magis commune habet occidere & relegare, quàm relegare & abſolvere: ideòque, ut ii, qui puniunt, ab aliis diſcrepant: ſic illi inter ſe pugnent, imò verò aliquantò propior ſit ſententiæ relegantis, ea quæ abſolverit, quàm quæ occiderit, quare jungi ſententiæ non poſſunt, tam diverſa cenſentium; lex enim ait: Qui hæc ſentitis, in hanc partem; qui alia omnia, in illam partem ite qua ſentitis. Ii qui occidebant, omiſſa ſententia, relegationi acceſſerunt. Itaque relegati ſunt liberti. *P. Ærodius ex Plinio Nepote lib. 8. Epiſt.*

Brasidas, quidam Lacedæmonius vir Prætorius, cùm filiis ſuis ab uxore divortio ſeparata fideicommiſſum relictum eſſet, hoc modo, ſi morte patris, ſui juris facti eſſent: eos emancipaverat. Filii poſt emancipationem, fideicommiſſum petebant. At conditio certè non extiterat, aut verò videbatur mors patris exſpectanda eſſe, nec hæredes ante fideicommiſſi H nomine conveniri poſſe. Tamen M. Antoninus Imp. in auditorio de hac ipſe cognoſcens, intellecta matris voluntate, quæ quia non crediderat patrem filios emancipaturum, diſtulerat in mortem ejus fideicommiſſum, dilatura id in mortalitatem, ſi eum emancipaturum ſperaſſet; decrevit fideicommiſſum eis repræſentandum. *P. Ærodius ex Ulpiani lib. 5. Diſp.*

Fabius Antoninus impuberem filium Antoninum & filiam Honoratam relinquens, exhæredatis his, matrem eorum Juliam Valerianam hæredem inſtituit, & ab ea trecenta & quaſdam res filiæ reliquit, reliquam omnem hæreditatem filio Antonino, cùm ad annum viceſimum ætatis perveniſſet, voluit reſtitui: quòd ſi ante annum viceſimum deceſſiſſet filius, eam hæreditatem Honoratæ reſtitui præcepit. Mater inteſtata deceſſit, utriſque liberis legitimis hæredibus relictis. Poſteà filius annum agens plenum nonumdecimum, & ingreſſus viceſimum, necdum tamen eo expleto, deceſſit, filia hærede Flavia Valeriana ſua relicta: à qua amita fideicommiſſum, & ex teſtamento

A mento patris portionem hæreditatis petebat, & apud præſidem obtinuerat. Tutores Valerianæ filiæ Antonini, egeſtatem ejus prætendebant, & recitabant divi Hadriani conſtitutionem, in qua quantum ad munera municipalia, juſſerat eum annum, quem quis ingreſſus eſſet, pro impleto numerari. Imperator autem Alexander motus & æquitate rei, & verbis teſtamenti, ſi ad annum viceſimum ætatis, quæ hanc interpretationem pati poſſunt, ut is ad annum viceſimum ætatis perveniſſe dici poſſit, qui illum annum attigit, licèt propriè viginti annorum natus non ſit, contra petitricem pronunciavit. *P. Ærod. ex Pauli lib.2. Decret.*

In Italia, cùm mulier defuncto marito ſecundas nuptias amatori ſpopondiſſet, & conditionem addidiſſet, filium domo ejecturam, queſtus eſt filius de matre apud Theodericum regem Gothorum. Negabat conſtanter mulier, eum ſuum eſſe filium, ſuppoſitum dicebat. Multis hinc atque hinc argumentis contendebatur. Rex ingenio ſagax, Claudii Imp. imitatione, ut veritatem erueret: Atqui, inquit, ò mulier, potes, ſi me audis, facilè iſta te moleſtia liberare: quin tu juvenem iſtum, qui filium tuum ſe facit, maritum accipe: mi- B nor eſt ætate, & facie liberaliore. Mulier omninò commota, primùm ſubſtitit, quid reſponderet. Quum aliquandiu ſe collegiſſet, multis cavillationibus eam rem ſubterfugere, neque ſibi conſtare cœpit, ſed omnia ambagibus involvere. Theoderico major orta eſt ſuſpicio. Itaque finxit ſe pœnam addere, niſi conſentiret. Tunc adacta mulier ſceleris horrore, ſuum eſſe filium confeſſa eſt. *Io. Magnus lib.9. c.29. ex Juſtiniano Veneto.*

De commiſſo homicidio ſuſpectus erat pater, erat & filius: factum uterque negare, nec ullis tormentis fateri. Carolus Magnus veritatis confitendæ cauſa utrumque ad ſuſpendium condemnat. Tum pater amore filii motus, ſeſe reum, filium culpæ expertem pronunciavit. *Barb. in cap. in præſentia de Probat.*

Contendebant inter ſe fratres duo, Emanuel & Andronicus, uter eorum patri ſuccederet, qui Caldioanes dictus, Byzantii tunc rerum potiebatur. Andronicus quidem ad certam imperii ſpem alendam Genuenſibus præcipuè favebat, quibus Tenedum inſulam dono dari à patre omni ope ſtudebat: contra Emanuel in Venetorum gratiam maximè adnitebatur, C ut arcem à ſe conſtructam obtineret. Quum inter ſe in primis fratres diſſiderent, Aymonem Sabaudiæ ducem ſupremum arbitrum delegere. Qui prudenter omnia agens, fratribus quum perſuadere nihil omninò poſſet, finem tandem ſuo arbitrio impoſuit, ita ut Veneti arce diruta domum recederent, nec Genuenſes inſulam ullo modo retinerent. *Egnat. & Fulg. lib.8. cap.2.*

Sigiſmundus Imp. componendæ pacis cauſa inter Francos & Anglos, Lutetiam venerat. In curia præſedit, cauſæ actæ, orationes habitæ. Ambigebatur in primis de præfectura Bellocarenſi. Erat inter duos contentio. Eorum alter cæteris omnibus ſuperior una re vincebatur, quòd equeſtri baltheo donatus non erat, quo inſigni alter decoratus, ea maximè fiducia nitebatur. Cauſa utrimque perorata, ne virtute ſuperior, inſignium virtutis expers, præfectura dejiceretur, vocatum eum ad ſe, enſe baltheoque Cæſar donavit. Conſtituebat etiam Comitem Sabaudiæ, magna celebritate ducatus inſignibus exornare. Interceſſerunt regii magiſtratus, ne in regno Francico quicquam pro imperio agere decernereve poſſe viderentur Auguſti. Permodeſtè id tulit Cæſar. D *Æmilius l.10.*

Ad Fridericum III. Imperatorem cùm ruſticus veniſſet, & indicaſſet, equorum alterum in caupona ex biga ſubtractum eſſe furto: Imperator reum indicari ſibi juſſit. Ruſticus autem cùm hoc nequiret: Miror, inquit Fridericus, cùr etiam alterum equum non amiſeris: multi enim ſunt hodie in hac urbe equites, qui equis indigent. Tum agricola, Equa eſt altera, ò Cæſar, quæ belligerantibus nulli eſt uſui. Tu ergo, ait Fridericus, equæ inſedito, atque in omnes urbis vicos diſcurrito: ſubtractus equus in aliquo ſtabulo latitat, qui cùm jugalem equam ſenſerit, mox hinnitum dabit. Paruit homo eoque pacto furtum compertum eſt, ruſticus, quod ſuum erat recuperavit, & fur pœnas dedit. *Æn. Sylvius lib.2. Comm. de geſt. Alfonſi.*

Mercator Germanus ad mercatum Francofordenſem profectus circa annum Chriſti MCCCCVI. vino madidus, hipperam octingentis aureis onuſtam in itinere amiſit. Die feſto pro concione jacturam eam proclamari fecit, & indici centum aureos ſe daturum promiſit. Tum faber lignarius, pauper ille, ſed integræ vitæ, mercatorem adit, & à ſe repertam hipperam affirmat. Lætus mercator, certis indiciis ſuam illam E eſſe oſtendit. Cùmque ea coram teſtibus in medium prolata eſſet, mercator aſtu fabrum circumvenire ſtudens, octingentis aureis numeratis, quinque honorarii cauſa ei obtulit, centum ab illo clàm ſuppreſſos dictitans, cùm nongenti in hippera incluſi fuiſſent. Faber negare factum: mercator inſtare. Re ad Judices delata, cùm mercatoris verſutiam perſpicerent, jurejurando utrique dato, cùm alter octingentos tantùm ſe reperiſſe, alter nongentos ſe amiſiſſe, Deo teſte advocato, profiteretur; decrevere, uti faber octingentos illos ſervaret, quoad is qui eos amiſiſſet, repeteret, nongentos verò mercator ab eo peteret, qui ſe nongentos reperiſſe aliquando faſſurus eſſet. *Io. Paulus in Ioco-ſeriis.*

Accuſabat ſtupri per vim illati adoleſcentem puella. Adoleſcens factum fatebatur, vim negabat. Judex ſtato die utrumque redire jubet. Subornat interim famulum, qui puellam in itinere ad ſtuprum cogat. Illa manibus & clamore ſedulò repugnare, & judicem de injuria nova ſollicitare. Tum judex: Si nunc repugnando evaſiſti, etiam priùs ſi voluiſſes incorrupta manſiſſes. Ergo teipſam judicaſti. Sive fabula eſt, fieri potuit; ſive hiſtoria, digna eſt, quæ annotetur. *Ioan. Paulus in Ioco-ſeriis.* F

Alfonso adhuc adoleſcente, regnorum Siciliæ & Hiſpaniæ gubernacula in Aragonia ſuſcipiente, accidit, ut cujuſdam ſervula ex domino prægnans facta, mox pariens, ad libertatem proclamaret, ex lege Hiſpanienſi, ſive Catalanenſi (quæ eſt, Serva, quæ ex domino liberos ſuſceperit, libera eſto.) Dominus autem veritus ſervam amittere, negabat ex ſe filium procreatum, ratus hoc pacto ſe ſervam non amiſſurum, & filium ſimul habiturum. At illa acriùs inſtante, & natum ex domino conceptum aſſeverante, cùm ejus rei difficilis probatio, & veritatis periculoſa conjectura eſſet in ancipiti: Alfonſi prudentia jam inde ab adoleſcentia ſtatim reſplenduit. Decrevit ergo, ut infans ſub licitatore venundaretur. Cùmque uni, qui majus precium attuliſſet, infans traderetur, pater pietate victus, à lacrymis temperare nequivit, & ſuum eſſe filium faſſus eſt. Quare rex & partui & ſervæ libertatem non cunctanter adjudicavit. *Panormitanus lib.2. de Rebus geſtis Alfonſi, & Fulg. l.7. c.3.*

Alfonsum regem Neapolitanum legimus, cùm pater filium G ſuum negaret eſſe, mandaviſſe, ut mercatori Afro vænum daretur filius. Tum filium à patre receptum eſſe. Ita præſumptione lis fuit ſublata.

Alexander Medices dux Florentinus, cùm quidam amiſſa burſa cum XL. aureis, promiſiſſet ſe duos aureos indici daturum, at ruſtico burſam afferenti, quicquam dare negaſſet, quòd duo coronati de ſumma deeſſent (XLII. enim in burſa fuiſſe, nunc XL. tantùm reperiri) improbitate hominis cognita, burſam cum XL. ruſtico reſtitui juſſit, & alterum illum qui amiſerat, exſpectare, donec veniret, qui burſam cum XLII. illi offerret: hanc enim, quæ XL. tantùm contineret, illius non eſſe.

Idem, ſui cujuſdam conſiliarii fraude in conductæ domus precio perſolvendo intellecta, viduam, cui injuria fiebat manè frequente ſenatu adeſſe jubet, & de injuria conqueri, ac ſuppreſſo nomine, ex Ducis tantùm familiaribus unum eſſe dicere. Ergo ubi poſtera die cauſam ſuam peregit, Dux prudentiam ejus collaudare, quæ ſui reverentia ſummo jure contra ſuum conſiliarium uti noluiſſet, viciſſim verò jubere: Huic tali, quiſquis tandem ille H eſſet, ſuo nomine diceret; niſi ſolutionem maturaret, malè cum illo actum iri. Et metu & pudore adactus conſiliarius, qui præſens huic intererat actioni, quàm primùm ad ſe rediit, viduæ cumulatè ſatisfecit, id unum præfatus, Infelicem te, niſi nomen meum ſubticuiſſes.

Caupo cum peregrino, qui nidore carnis loco obſonii uſus fuerat, contendebat. Litem diſſolvit Ruſticus, non Ægyptii illius Bocchyris imitatione, ſed naturæ ſolius inſtinctu: De qua re tale exſtat Epigramma:

Nidorem ad carnis, quæ terrebatur, edebat
Quidam, obſonandi copia nulla fuit.
Cujus erant carnes, hunc flagitat improbus æra:
Hic autem multò denegat improbius.
Ad pugnos res ducta foret: ſed tranſiit illac
Ruſticus, in media eſt arbiter is platea.
Reſpondet, Si nil nidorem acceperis ultra,
Præter numorum det nihil ille ſonum.

Conſtantinopoli Judæus Chriſtiano egenti certam auri ſummam mutuò dederat, uti conſtituto tempore & ſortem & A uſuræ loco duas carnis ejuſdem Chriſtiani uncias reciperet. Chriſtianus ſortem reddit, uſuram negat. Solymannus Imp. Judæi crudelitate, Chriſtiani neceſſitate animadverſa, novaculam afferri jubet, & ad Judæum converſus; Age verò, inquit, jus tuum perſequere, quacumque voles parte carnem exime, nec plus, nec minus duabus unciis: Erroris pœna capitalis erit. Judæus periculo territus, fœnus ſponte remiſit. *Ægidius Corrozetus de dictis & factis mem.*

Agricola quidam ex Marchiæ comitatu, armento numeroſo locuples, cujus vaccæ ſolito minus lactis aliquantiſper reddidiſſent, ad ariolum confugit, capturus conſilium. Qui ſine mora ſe lamiam ejus jacturæ auctorem oſtenſurum pollicetur. Hinc ad villici hujus ædes comitatus, filiam ex priori ejus conjuge adhuc virginem apprehendit, huic lactis maleficio imminuti crimen impingens. Hæc mox à dæmone inducta, verum eſſe fatetur, ſed ſe non ſatis eſſe maleficii peritam ſubjungit, fœminas ſexdecim alias accuſans, quas ea in arte abſolutè doctas eſſe affirmabat. Gulielmo principi Clivenſi hæc illicò ſignificantur à ſatrapa, qui eas omnes carce- B ribus mancipari oportere conſuluit. Ne tamen alicui hic manus iniiceret, graviter inhibuit princeps: ſtrictè etiam mandans, ut quocumque modo, aut inſidiis, in vincula pertraheretur ariolus ille. Puellam verò ab Eccleſiæ miniſtro acciri voluit, & in præcipuis fidei Chriſtianæ articulis exanimari, deinde ab hac dæmonis illuſione, doctrina ſaniori ad mentem reduci: eamque cautiorem ea ratione à ſatanæ ſtrophis redditam, fidejuſſoribus conſtitutis, ſi modò eos conſequi poſſet (ut magis in officio contineretur) ſin minùs, tum propria fide interpoſita, cùm bona gratia dimitti. Alias autem matronas hoc falſæ criminationis cauterio à corruptæ mentis virgine inuſtas, nulla omninò re gravari permiſſum eſt. Ac prudentiſſimo hoc conſilio deſiit hic fabulæ actus, & lac vaccarum, qua ſolebat, copia fluxit.

Alfonsus Imperator, quàm ſedulus fuerit in juſtitia facienda, & ſuperborum audacitate, & contumacia extirpanda, ex hoc adverti poteſt, quòd cùm quidam nobilis in Gallæciæ partibus, nomine Ferdinandus, cuidam ruſtico hæreditatem ſuam offerens injuriam intuliſſet, ipſe Toletum ad Im- C peratorem properans, de dicto milite querimoniam fecit. Imperator autem ſtatim per ipſum ruſticum ſuis literis præcepit ei, ut viſis literis ſtatim ruſtico juſtitiam exhiberet, mandans Majorino terræ, ut cum ruſtico veniret ad militem, & videret, qualiter ei juſtitiam exhibebat, & hoc ſibi reſcriberet. Miles verò, qui erat nobilis & potens, ut ruſticum vidit cùm literis Imperatoris, ſuccenſus ira cœpit ruſtico mortis inferre minas, nolens illi ſatisfacere. Reverſus eſt autem ruſticus ad Imp. Toleti inferens teſtimoniales literas Majorini, quòd noluerit illi miles juſtitiam exhibere. Imperator ut hæc audivit, vocatis ſecretariis ſuis, præcepit eis, ut ipſum dicerent ægrotare, & nullum permitterent intrare cubiculum ejus. Præcepit etiam ſibi, & duobus militibus tantùm ſecretè parari equos, & diebus ac noctibus, nullo alio ſciente, ad Gallæciam properavit. At ubi ventum eſt ad locum, ubi miles erat, vocavit Imperator ſecretè Majorinum terræ, & diligenter ab eo, & ab aliis, ſuper facto militis & ruſtici perquiſita veritate, juſſit vocari plures, & ſtans ad oſtium militis, miſit ad eum, dicens; Egredere, quia vocat Imperator. Quod ut miles audivit, nimio timore perterritus, intelligens quod futurum erat, D fugam paravit; ſed præventus, à miniſtris Imperatoris captus eſt, & eo jubente in oſtio domus ſuæ ſuſpenſus. Tunc Imperator manifeſtavit ſe in Gallæcia, & totam patriam ipſam pacificavit. Tantus invaſit terror omnes magnates totius Imperii ex hoc facto, videntes zelum & animoſitatem Imperatoris in juſtitia facienda, ut nullus eſſet, qui minimo, vel magno inferret injuriam, qui ſtatim ei ſatisfacere non feſtinaret. *Lucas Tudenſ. in Chron. mundi an.* 1156. *Juſt. Lipſ. lib.2. Monit. politic. cap.9.*

In noſtra etiam Belgica Balduinus ſeptimus Comes Flandriæ, Petrum virum nobilem, & Orſcampi Toparcham, ob duos boves pauperculæ viduæ reclamanti abductos, re ad eum delata, ſubitò arripi jubet, & atroci morte puniri. Fortè lebes aquæ ferventis in medio Brugenſi foro erat, monetario puniendo deſtinatus; in hunc ſine mora hominem conjici jubet, ſicut erat, ocreatum, veſtitum, gladio accinctum. Quid ais? ſic calidè, & an non temerè? Nihil: nam inquiſitio præceſſerat, & culpæ convictus, per aliam cauſam evocatus, pœnas ſic luit, meo animo, rectè & ſalubriter. *Juſt. Lipſ. ibid.*

Non eſt hoc loco ſubticendum laudabile Philippi II. Re- E gis Catholici factum. Cùm illi judicium dictum eſſet coram Parlamento Geldriæ, inibique Rex cauſa cecidiſſet, atque nullus eſſet, qui ſententiam exequeretur; ipſe, ipſe, inquam, Rex magnanimus, æquiſſimuſque, quo juſtitiam in ſe juxta atque in aliis ſervaret, certos nominavit, qui ſententiam ocyſſimè exequerentur; nec quievit, donec pars victrix potiretur, qua de re diſceptabatur. *Lud. Guicciard. in deſcr. Belgii.*

Judices Mali. Iniqui. Puniti.

☞ *Pete ex Loco de Pœna & Punitione, ubi multa de Pœna Injuſtitiæ, & Iudiciorum iniquorum.*

☞ *Item infra eodem hoc Loco, Titulus ſuper ea re particularis.*

JUDICIA ET SENTENTIÆ PRUDENTES De Suis Aliorumve Bonis maliſve, extra forum.

Ex loco Conſiliorum prudentium non pauca huc transferri poſſunt, præſertim ea, quæ in veritatis enunciatione, Defendendo, Retorquendo, Reprehendendo collocavimus. Mu- F *tuas ſibi operas præſtant Inventio & Iudicium. Qui defendit ſe contra aliorum accuſationem, invenit primùm argumentum, quo ſe defendat: ſubinde tanquam rectum approbando judicat, judicando pronunciat. Idem de Reprehenſione ſentiendum.*

DE REBUS. Tum In Genere.

De Felicitate univerſim.

Apud Thraces Trauſoſque, ac Ceſias & Cauſianos, puero in lucem edito, cognati affineſque puerum lamentabantur, recenſentes calamitates, & vitæ incommoda futuræ. Iidem in funere jubilabant, defunctoque gratulabantur, cui ex hac luce & imminentibus malis, atque omni ſævitia fortunæ, tandem excedere datum eſſet. Gymnoſophiſtæ pariter, & Brachmanes, caſtè & piè viventibus, mortis diem natalem vitæ ducebant. *Herodotus lib.5. Strabo lib.7. Solinus cap.17. Mela l.2. Val. Max. lib.2. cap.1.*

Iidem calculos colore diſtinctos pro experimento cujuſque diei in urnam condunt, ac ſupremo die ſeparatos dinumerant, G atque ita de cujuſque vita pronunciant. *Plin. l.7. c.40.*

Athenæus ex Philarcho Scythis hoc tribuit. Horatius eam conſuetudinem Cretenſium fuiſſe innuit, quando inquit:

Creſſa nec careat pulcra dies nota.

Hinc proverbio receptum olim, ut dicerent, Bonum diem è pharetra eſſe, ſi quid ex animi ſententia accidiſſet. *Eraſm.*

Cùm Gyges, occupato regno Lydiæ, armis & divitiis abundantiſſimo, inflatus animo Apollinem Pythium ſciſcitatum veniſſet, an aliquis mortalium ſe eſſet felicior? Deus ex abdito ſacrarii ſpecu voce miſſa, Aglaum Pſophidium ei prætulit. Is erat Arcadum pauperrimus, ſed ætate jam ſenior, terminos agelli ſui nunquam exceſſerat, parvuli ruris fructibus ac voluptatibus contentus. Verùm profectò beatæ vitæ finem Apollo non adumbratum, oraculi ſagacitate complexus eſt. Quocircà inſolenter fulgore fortunæ ſuæ glorianti reſpondit, magis ſe probare ſecuritate ridens tugurium, quàm triſtem curis & ſolicitudinibus aulam: paucaſque glebas pavoris expertes, quàm pinguiſſima Lydiæ arva metu referta; & unum aut alterum jugum boum facilis tutelæ, quam exercitus, arma, & equitatum, voracibus impenſis oneroſum; & uſus neceſſarii hor- H reolum nulli nimis appetendum, quàm theſauros omnium inſidiis & cupiditatibus expoſitos. Ita Gyges, dum adſtipulatorem vanæ opinionis Deum habere concupiſcit, ubinam ſolida & ſincera eſſet felicitas, didicit. *Val. l.7. c.1.*

Pittacus Mytilene templis ſcalam fecit, ad nullum alium uſum, quàm ut eſſet dedicatum donum; adumbrans fortunæ repentinos aſcenſus atque deſcenſus, aſcendentibus quodam modo his, quibus fortuna aſpirat, deſcendentibus verò, qui miſeriis premuntur. *Ælian. lib. 2. de Var. hiſtor.*

Solon ajebat, ſi unum in locum cuncti mala ſua contuliſſent, futurum, ut propria deportare domum, quàm ex omni miſeriarum acervo portionem ſuam ferre mallent: quo colligebat, non oportere nos, quæ fortuitò patiamur, præcipuæ & intolerabilis amaritudinis judicare. *Val. Max. lib.7. cap.2.*

Croesus Lydorum rex, cùm Solonem Sardibus commorantem ad ſe vocaſſet, & theſauros omnes oſtendiſſet, interrogavit illum, Annon meritò, in tanta bonorum omnium abun-

abundantia, felix & beatus diceretur? Solon, Tellum item Cleobin & Bitonem Cydippes filios, multò beatiores fuiſſe reſpondit: quorum primus, cùm ſuos viciſſet hoſtes, in illa clara victoria è vita migrarit: duo verò poſteriores, dum matrem graviter decumbentem ad Junonium duxiſſent fanum, precibus matris, bona filiis precantis, etiam continuò mortem objerint. Cauſam hujus judicii interroganti regi reſpondit: Neminem ante mortem beatum dici debere. Nec multò poſt Cyrus Crœſum victum pyræ impoſuit, ut combureretur. Ibi tunc: O Solon Solon, alta voce Crœſus inclamavit. Cyrus admiratus ignotum nomen, quiſve deorum aut hominum eſſet, quem infelix rex in extremo diſcrimine invocaret: poſteaquam cauſam didicit, Crœſi inconſtanti felicitate motus, eum liberari juſſit, & in poſterum honorificè apud ſe haberi voluit. *Herod. lib.* 1.

Croesus conſultus à Cyro de bello ſuſcipiendo contra Tomyrin reginam Maſſagetarum: Si tibi, ait, eſſe videris immortalis, nihil eſt opus, ut meam tibi ſententiam dicam. Si verò te quoque agnoſcis hominem, illud imprimis diſcito, talem humanarum rerum circum eſſe, qui rotatus, eoſdem ſemper fortunatos eſſe non ſinat. Cyrus imperandi libidine accenſus, Crœſo non paruit. Itaque in eo bello periit. *Bruſonius l. 2. cap.* 37. *ex Herod. lib.* 1.

Polycrates, Samiorum tyrannus, cùm ſumma frueretur felicitate, admonitus ab Amaſi Ægyptiorum rege, ut aliquo ſaltem, quamvis levi incommodo, tantam interrumperet fortunæ tranquillitatem: annulum in mare projecit, quem habebat chariſſimum, ejuſque jactura vehementer ſe dolere ſimulabat: cùm piſcator quidam captum piſcem Polycrati dono obtulit. Quo exenterato, annulus in viſceribus repertus eſt; quem Polycrates abjecerat. Ibi tunc Amaſis Polycrati amicitiam renunciaſſe dicitur, cùm videret apertè, fortunam ad graviores caſus eum reſervare. Nec defuit eventus. Ab Oræte enim Darii regii præfecto, in ſummo Mycalenſis montis vertice, cruci affixus eſt. *Herodotus.*

Philippus Macedoniæ rex, cùm uno eodemque tempore tria nuncia accepiſſet, equeſtri curſu quadrigas ſuas Olympia viciſſe, Olympiam uxorem Alexandrum filium peperiſſe, Parmenionem denique ducem ſuum Dardanos viciſſe: ſublatis in cœlum oculis: At tu, inquit, Fortuna pro tot bonis levi aliquo nos affice malo.

Alexander Magnus in dolio cubantem Diogenem Cynicum tantùm admiratus eſt, ut niſi Alexander eſſet, Diogenem ſe eſſe optaret. Hinc *Juvenalis Sat.* 14.

Senſit Alexander, teſta cùm vidit in illa
Magnum habitatorem, quantò felicior hic, qui
Nil cuperet, quàm qui totum ſibi poſceret orbem.

Theramenes, cùm è quadam domo egrederetur, & illa ubitò corruiſſet, exclamavit: O Jupiter, cui jam me infortunio reſervas? Nec multò poſt à triginta tyrannis Athenienſium fuit interfectus. *Ælian. lib.* 9. *Var. hiſt.*

Olympicis ludis, cùm victores Diagoras vidiſſet coronari filios, atque ex filia filioque nepotes, eaque re multùm lætaretur, Lacon quidam dixit: O Diagora, nunc pulcrum moriendi tempus eſſet. *Plut.*

Timotheus, filius Cononis, dux Athenienſium, gloria & victoriis clarus, in Platonem incidit extra mœnia cùm quibuſdam diſcipulis obambulantem: eumque videns gravem & corpulentum, cæterùm vultu benignum: differentem verò audiens non de pecuniarum contributione, neque de triremibus, aut nauticis rebus, neque de ſupplementis, aut quemadmodum auxilium eſſet ferendum, neque de tributo ſociorum, ſive inſulanis, neque de ſimilibus nugis aut ineptiis, ſed de philoſophia, & rerum pulcherrimarum cognitione, exclamavit, O vitam, & verè felicitatem. *Ælian. de Var. hiſt. lib.* 2.

Leotychidas primus quærenti, Qui retineatur præſens felicitas? ſi non, inquit, undequaque fortunæ credas. *Plut. in Apopht.*

Socrates requirente ex eo, ni fallor, Gorgia, Quam exiſtimationem haberet de rege magno, & haberetne eum pro beato? Haud ſcio, inquit, quàm ſit vir bonus, quàm doctus. *Plut. de Inſtit. liberis.*

Anthisthenes ait, qui eſſe velit ſalvus, ei opus eſſe, vel ſinceris amicis, vel inimicis ardentibus. Hi enim lacerando, illi deterrent offenſantes caſtigando. *Plut. de Util. ex inim.*

Diogenes ei, qui ſalutem deſideret, quærendum eſſe vel ſedulum amicum, vel flagrantem inimicum dicebat, qui increpatione, vel curatione animi vitia exuat. *Plut. de virt. profectu.*

P. Scipio, quum Cenſor de more notum carmen, ſcriba ex publicis tabulis præeunte, pronunciaret, ventumque eſſet illuc, Jupiter auge Rempublicam: numquam ſic precari animum induxit, monente multùm ſcriba atque hortante; ſed ſic, Jupiter conſerva Rempublicam, ſatis eſſe auctam dicens, modò conſervaretur; ac protinùs in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari juſſit. Qua votorum verecundia deinceps Cenſores in condendis luſtris uſi ſunt. *Val. Max. lib.* 4. *c.* 1.

Cato major mirari ajebat ſe, quemadmodum ſalva poſſit eſſe civitas, in qua pluris piſcis venæat, quàm bos. *Plut. in Apopht.*

C. Jul. Cæſar Dictator, cùm hoſte quinquagies collatis ſignis (quoties Romanorum ducum nemo) conflixit. Verùm jam exacta ætate modum adhibere voluit, veritus (ut credere eſt) ne fortunam, quam toties ſecundam habuiſſet, adverſam ſemel experiretur. *Sabellicus lib.* 1. *cap.* 6. *Ethnicorum exemplum de Senectute.*

Demonax, Hadriani tempore ſummus philoſophus, viros fortunatos ſæpè admonere ſolebat, ne obliviſcerentur, quàm citò deſituri eſſent.

Ambrosius Epiſcopus Mediolanenſis, cùm apud divitem quendam hoſpitandi gratia divertiſſet, & ille ſe nihil unquam in vita adverſi paſſum jactaret; eveſtigio cum ſuis receſſit, dixitque, ideò ſe inde fugere, ne unà cum homine perpetuis proſperitatibus uſo ſimul pereat. Haud ita procul exceſſerant, & reſpicientes, vident ædes illas, cum omnibus, qui ibi erant, terræ hiatu jam abſorptas. *Marul. lib.* 5. *c.* 3.

Fuit Saladinus princeps Ægyptius, dum vixit, longè clariſſimus. Namque imperii ſui fines in primis auxit, & feliciſſimè diu rerum potitus. Chriſtianorum quoque opes ita in Oriente oppreſſit, ut Hieroſolymis captis, Chriſtianum nomen in hunc uſque diem ex Syria ejecerit. Ille moriens in ſumma rerum felicitate, teſtamento ſuo præcipuè cavit, ut interula tunica linea, quam geſtare ſolebat, prælongæ haſtæ affigeretur, proclamaretque is, qui lanceam gereret, hanc unam eſſe reliquam tunicam, quæ illi ex tantis opibus, tantoque imperio ſuperfuiſſet. *Egnat. lib.* 7. *c.* 2. *& Fulg. lib.* 7. *cap.* 2.

Sesostris rex Ægyptiorum victoriis illuſtris, currum aureum pretioſiſſimis gemmis ornatum ſibi conſtruxit: cui inſidens, à quatuor regibus devictis plauſtra ſubeuntibus ſe trahi paſſus eſt. Cùm feſto quodam die, regum unus oculis converſis continuè retroſpiceret, rotæ volubilitatem intuens, Seſoſtriſque cauſam reſpectus percontaretur, reſpondiſſe fertur: Cùm ſtupore admiror rotam, cùm eam inſtabili modo ferri, atque aliàs aliter volvi, & nunc quidem ſublimia demittentem, rurſus demiſſa ſublimantem conſpicio. Seſoſtris ubi dictum id intellexit, ſtatuit, ne illi poſthac currum traherent. *Paul. Diac. de reb. Rom. lib.* 17.

Cùm Hugolinus Girardeſcus, civis Piſanus, Guelfarum partium princeps, contraria factione partim pulſa, partim perculſa, eò potentiæ domi perveniſſet, ut pro nutu omnia adminiſtraret, patriæque dominus & eſſet, & haberetur, in feſto natalis ſui celeberrimo convivio, ad quod ſuos omnes vocaverat, dum fortunam ſuam ipſe fando efferet, quendam ex intimis amicis Marcum, quid tandem ſibi deeſſe arbitraretur, interrogavit. Ille, Sola, inquit, ira Numinis procul diuque abeſſe à tam ſecundis rebus non poteſt. Nec multò pòſt Guelforum viribus conſeneſcentibus, Gibellini armis arreptis ædes ejus expugnarunt, unum è filii nepotibus vim arcere conatum occiderunt, ipſum cum duobus filiis, & tribus nepotibus comprehenſum, & in turrim concluſum, fame necarunt. *Æmilius lib.* 8. *Platina in Nicolao III.*

Viliſſimo.

Niloxenus ille ſapiens rogatus, quid eſſet utiliſſimum; reſpondit, Rex. Id eſſe proprium veri principis judicans, ut quantum in ipſo ſit, nemini noceat, proſit omnibus, ſitque magis optimus, quàm maximus. Quanquam non alia ratione poteſt eſſe maximus, niſi ut ſit quàm optimus, hoc eſt, beneficentiſſimus in omnes. *Eraſm. in Adag.*

Difficillimo.

Thales philoſophus, ut auctor eſt Laertius, interrogatus: Quidnam eſſet difficillimum, reſpondit, Γνῶσαι σεαυτὸν, id eſt, Noſſe ſeipſum. Quid facillimum, reſpondit: Ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι, id eſt, Alteri conſilium dare. *Eraſm. in Adag.*

De

DE IIS QUÆ AD ANIMI BONA MALAVE pertinent. Ut de

Ingenio & Moribus bonis maliſve.

Cyrus *apud Herod. lib.* 6. dicit, natura ſic comparatum eſſe, ut è mollibus regionibus moles viri exiſtant, neve ex eadem terra admirandæ fruges & egregii bello viri gignantur.

Plistarcus Leonidæ, quærenti cuidam, qua de cauſa non à primis regibus nomen mutuaretur? Quòd illi duces, inquit, eſſe, quàm regere malebant; poſteriores minimè. *Plut. in Apopth.*

Rogatus Spartiates, Tutane via Spartam foret? Qualis, inquit, acceſſeris. Nam ingredientes leones ejulant, lepores in cubilibus venamur. *Plut. in Laconicis.*

Simonides quærenti, quid ſolis nomen imponeret Theſſalis? Nempè tardiores ſunt, quàm ut à me capiantur. *Plut. de Audiendis Poetis.*

Iſocrates rhetor de Athenienſium civitate dicere ſolebat, eam ſcortis ſimillimam eſſe. Etenim qui illarum venuſtate caperentur, velle quidem omnes rem cùm ipſis habere: neminem tamen eſſe tam ſui ipſius contemptorem, qui matrimonium, cùm illis jungere dignetur. Atque Athenienſium civitatem ad peregrinandum in ea jucundiſſimam eſſe, omnibuſque totius Græciæ civitatibus præſtantiorem, ad inhabitandum verò non item ſecuram ac tutam. Innuebat his verbis, domeſticos in ea ſycophantas, atque eorum, qui populares videri vellent, inſidias. *Ælian. de Var. hiſt. lib.* 12.

Amabat rex Philippus mulierem Theſſalam, quæ ſuſpecta erat, quòd eum incantaret. Hanc ſtuduit Olympias in poteſtatem ſuam redigere. Quæ ut in conſpectum ejus venit, & liberali forma viſa, ac ſermocinata cum ea eſt, non ingeneroſè neque inſipidè: Valeant calumniæ, inquit Olympias, venena tu in teipſa habes. *Plut. in præceptis connubialibus.*

Agesilaus, ſeu Callicratidas, Aſiæ incolas memoravit liberos improbos, ſervos eſſe bonos. *Plut. in Apopht.*

Celebrantibus nonnullis Antipatri frugalitatem, cujus eſſet durus victus & auſterus: Foris, inquit Alexander, eſt candidus Antipatri amictus, intùs totus purpureus. *Idem.*

Demostenes iis, qui improbitatem depoſuiſſe exiſtimabant Demandem: Nunc enim, inquit, cernitis ſicut leonem ſaturum. *Plut. de cupiditate divitiarum.*

Eteocles Lacedæmoniis dicebat, duos Lyſandros Spartam ferre non poſſe; & Archeſtratus Athenienſis dicebat, duos Alcibiades in civitate Athenienſium tolerari non poſſe. *Ælian. de Var. hiſt. lib.* 11.

Gyrtias, cùm Acrotatus ejus ex filia nepos aliquando ex quadam puerorum pugna multis acceptis plagis pro exanimi domum relatus eſſet, plorantibus familiaribus & neceſſariis, Non tacebitis? inquit: demonſtravit certè, cujus ſtirpis eſſet, neque deplorari debent boni, ſed curari. *Plut. in Lacenarum Apopht.*

Lacæna, filium nunciato in acie fortiter pugnantem cecidiſſe: Erat verò, inquit, meus. De alio audiens, ignaviter evaſiſſe ſalvum: Sanè, inquit, meus non erat. *Idem.*

Lacæna ſupplicationem publicam celebrans, ubi filium in acie viciſſe, ſed vulneribus conciſum intellexit exſpirare, non detracta corona, ſed exultans, proximis fœminis ait: Multò præclarius eſt, amicæ, in acie vincentem occumbere, quàm vivere Olympiis victorem. *Idem.*

Plinius lib. 7. refert, Catonem Cenſorium velut ex oraculo prodidiſſe, Senilem juventam præmaturæ mortis eſſe ſignum.

Dionysius Syracuſanus ſenior ☞ *Vide infra*, §. *Reprehenſione, Caſtigatione. Plut. & Cælius lib.* 22. *cap.* 17.

Cor. Ruffinus, vir bellicoſus, verùm rapax, conſulatum opera C. Fabricii contra multos alios, viros quidem probos, ſed belli imperitos, obtinuit, quia ſe rapinis imminui, quàm venundari malle, Fabricius aſſerebat. *Plut.*

Quum Eumenes rex Romam veniſſet, & à Senatu honorificè exceptus, clariſſimorum civium frequentia ſtiparetur: M. Cato Cenſorius non diſſimulabat, tantum Romanorum erga illum ſtudium ſibi ſuſpectum eſſe, ipſe vitans regis conſuetudinem. Hoc quibuſdam admirantibus, ac dicentibus, Eumenem virum eſſe probum, ac amico in populum Roman. animo: Sint iſta vera, inquit; attamen iſta bellua, natura ferox eſt. Sentiens, omnes reges, utcumque pro tempore ſimulent, natura Democratiæ inſenſos eſſe. *Eraſm. l.* 5. *Apopht.*

Cato plus ſibi prædicavit placere erubeſcentes, quàm expalleſcentes; rectè aſſueſaciens, ac docens, probrum potiùs, quàm reprehenſionem vereri, ac ſuſpicionem magis, quàm periculum. *Plut. de Immodica verecundia.*

Cicero dicebat, in aliis C. Jul. Cæſaris cœptis & actionibus conſiderare ſe in omnibus ingenium tyrannicum; ſed cùm comam ejus, inquit, ita videam compoſitam accuratè, ipſumque uno digito caput ſcabentem, contrà non videtur iſte mihi tantum mali animo concepturus, ut Romanam Remp. evertat. *Plut. in Cæſare.*

C. Jul. Cæſar Antoninum & Dolabellam ſuſpicientibus nonnullis, atque ut caveret ſibi ab eis, monentibus; hos negavit timere ſe pingues, & nitidos, verùm macilentos illos, & pallidos, Brutum & Caſſium deſignans. *Plut. in Apopht.*

Mauricius Imp. ex inſomnio edoctus, Phocam percuſſorem fore, quærit ex Philippico, quonam is eſſet ingenio? Reſpondit ille, Hominem eſſe timidum, & ferocem. Tum Imp. Si, inquit, timidus, etiam homicida eſt. *Cedrenus.*

Jo. Coletus Anglus, Decanus ad D. Paulum Londini, vir doctiſſimus, dicere ſolebat, ſe nuſquam reperire minùs corruptos mores, quàm inter conjugatos, quòd hos affectus naturæ, cura liberorum, ac res familiaris, veluti cancellis quibuſdam ita diſtringeret, ut non poſſint in omne genus flagitii prolabi. Proinde etiam curæ collegii, quod Londini maximis ſumptibus puero Jeſu ſacrum extruxit, cives aliquot conjugatos præfecit. *Eraſm. in vita.*

Giro Oronius regulus, uti erat vir acuto, & hac in re divino præditus judicio, dixiſſe fertur, ſibi Conſalvum Magnum, ex regno Neapol. in Hiſpaniam ſplendido cum comitatu venientem, ingenti onerariæ navi per ſimilem videri, quæ præalto mari indigeat, ut æquora ſulcet; aliter neceſſe ſit, ut humilibus in vadis hæreat: quaſi diceret, tantæ moli ferendæ Hiſpaniam Ferdinando regnante minimè ſuffecturam. Hinc non multò poſt percontante Girone à quodam, cùm Conſalvus ad regiam veniſſet, quàm altè oneraria illa in Loxæ vadis ſubſideret? idque Conſalvo referretur: Oronio dic, inquit, navem firmis lateribus æſtum maris expectare, ut attollatur, & vela det ventis, qui non ſemper adverſiſſimi perflare conſueverunt. Nec perturbato reſponſo eventus defuit; non toto enim vertente anno, quum Ravennatis cladis nuncius regem Hiſpaniæ Ferdinandum magnoperè perculiſſet, unus ante alios omnes Conſalvus, qui res perditas reſtitueret, vocatus eſt. Sed ea expeditione ad nihilum relapſa, fertur ſuſpenſo ore dixiſſe ad aſtantes: Ergo Gironus Oronius præclarus vates evadet, quando meam navem ſecundo æſtu mirificè ſublevatam, obortus opportunè ventus, qui jam vela inflabat, repentè concidens, ſulcantem mare deſtituit. *Iovius in Conſalvo.*

Doctrina & Sapientia.

Plato eo differre doctum ab indocto dicebat, quo benevalentem ab ægro. Mentis enim ſanitatem, ac lumen à doctrina perſæpè; ab ignorantia autem ægritudinem, manifeſtis rationibus proficiſci.

Themistocles rogatus, Achilleſne an Homerus eſſe mallet: Et tu, infit, ipſe victor malles Olympiis, an proclamans victores eſſe præco? *Plut. in Regum apopht.*

Stilpon, philoſophus Megarenſis, cùm Megaram Demetrius bello captam ſolo æquaſſet, atque Stilponem eſſet percontatus, ecquid amiſiſſet? Ille, nequaquam, inquit; neque enim præda facit bellam virtutem. *Plut. de Inſtit. lib.*

Bias everſa patria Priene ab hoſtibus, aliis alia efferentibus, nudus abſque impedimentis egreſſus eſt: Bona mea mecum porto, reſpondens; pectore nimirùm, non humeris; animo, non oculis viſenda. *Val. lib.* 7. *cap.* 2.

Quidam, cùm Diogenem Cynicum in dolio recumbentem vidiſſet, ὦ πίθε μεστὲ φρενῶν dixit. Mox alius quidam ſubjecit, Θέλω τύχης σταλαγμὸν ἢ φρενῶν πίθον. *Euſtath. in Iliad.*

Oratione.

Cùm quæſtionem Xenocrates explicaſſet, finemque dicendi faceret, aderat Eudamidas. Ut dixit ex comitibus ejus quidam: Poſtquam nos adſumus, abrupit ſermonem: Rectè, inquit, ſi quidem dixit jam ea, quæ voluit. Illo ſubjiciente: Operæpretium erat audiſſe: Num etiam, inquit, ad cœnatum ſi veniremus, poſtularemus, ut iterùm cœnaret? *Plut. in Apopht.*

Zeno Citticus eleganter, ac politè loquentium ſermones, ajebat eſſe ſimiles pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti, ac undique ſcripturam habenti, more numiſmatis; nihilo tamen eſſe meliorem. Rurſus, qui magis ſtuderent utilia dicere,

re, quàm nitida, ſimiles eſſe dicebat tetradrachmis, temerè ac ruditer percuſſis, quæ ſæpè picturatis illis numis præponderarent. In numo non ſpectatur elegantia ſcripturæ, ſed pondus, ac materia: ita non refert, quàm ſit elegans oratio, ſed quàm gravis & utilis.

Idem dicere ſolebat, ſatius eſſe labi pedibus, quàm lingua eòque convivia quantum poterat vitabat, quòd ibi ſolutus vino, & aliorum fabulis provocatus, faciliùs labi poſſet. *Eraſm. lib.7. Apopht.*

Theophrastus Ereſſius dicere ſolitus eſt, potiùs eſſe fidendum effreni equo, quàm verbo incompoſito. Nemo non metuit inſidere equo infreni: at plus eſt periculi à lingua petulante & effreni. *Laertius.*

Puerorum inſtitutione.

Agesilaus requirente quopiam, quæ addiſcenda ſint pueris? Hæc, inquit, quibus etiam, quando evaſerint viri, utantur. *Plut. in Apopht.*

Artibus mechanicis.

Gorgoni cùm præcepiſſet aliquando pater Cleomenes, rex Spartanorum, ut quippiam pro mercede daret frumentum, adjiceretque, Docuit me vinum bonum facere: Ergo pater, inquit, & plus vini exhaurietur, & qui bibent, delicatiores deterioreſque evadent. *Plut. in Lacenarum Apopht.*

Alexandridas roganti, quid agros permitterent Ilotis, non ipſi eos colerent? Quia, inquit, majorem noſtri, quàm agri curam habemus. *Idem.*

Virtute in genere.

*Apud Gellium lib.*18. *cap.*1. Peripateticus cùm Stoico de vita beata diſputat. Stoicus ſolam virtutem urget, Peripateticus etiam externa bona requirit perquàm feſtivè: Rogo te, inquit, cum bona venia reſpondeas, an exiſtimes eſſe vini amphoram, cùm abeſt ab ea congius? At Stoicus, minimè, inquit, vini amphora dici poteſt, ex qua abeſt congius: tum Peripateticus, unus igitur congius amphoram facere dici debebit, quoniam cum deeſt ille unus, non ſit vini amphora, & cùm acceſſit, ſit amphora. Quòd ſi id dicere abſurdum eſt, uno congio ſolo fieri amphoram, itidem abſurdum eſt, una ſola virtute vitam fieri beatam dicere; quoniam cum virtus abeſt, beata eſſe vita nunquam poteſt. Tum Phavorinus Philoſophus reſpiciens Peripateticum, Eſt quidem, inquit, argutiola hæc, qua de congio vini uſus es, expoſita in libris, ſed, ut ſcis, captio magis lepida, quàm probum aut ſimile argumentum videri debet. Congius enim cum deeſt, efficit quidem, ne ſit juſtæ menſuræ amphora, ſed cum accedit, & additur, non ille unus facit amphoram, ſed ſupplet. Virtus autem, ut iſti dicunt, non acceſſio, neque ſupplementum, ſed ſola ipſa vitæ beatæ inſtar eſt, & propterea vitam beatam ipſa ſola, una cum abeſt, facit.

M. Cato Cenſorius vocem ſæpenumerò emittebat plenam fiduciæ ſui, oportere aliis veniam dari, ſi peccaſſent, ſibi non item. Nam in illis, quæ deliquiſſent, vel inſcitiæ, vel impotentiæ affectuum debere videri imputanda, in quorum poteſtate adhuc eſſent; ſe verò, ſi peccaſſet, malitiæ eſſe, non ignorantiæ, aut animi concitati.

Aſclepiodorum, memoriæ proditum eſt, Athenis inita in Syriam peregrinatione, eo conſilio pleraſque adjiſſe civitates, ut mores hominum perſpiceret. Cæterùm in tota periodo illa tres modò comperiſſe, qui modeſtè ac planè ex formula viverent, Ilapium apud Antiochiã philoſophũ, Laodiceæ verò Maren, omnium ejus ætatis juſtiſſimum: item philoſophum Dominũ, cognomento Ariſtidem. *Cœlius l.*14.*c.*3.*A.L. ex Svida.*

Albertus I. Imperator tria potiſſimùm genera hominum deamabat, ac venerabatur, fœminas pudicitia illuſtres & claras, Clerum devotum & religioſum, Milites ſtrenuos & fortes. *Joan. Cuſpin. in ejus vita.*

Antonius Panormita de lectione feſſus, in veſtibulo Pliniani ſui ſedebat, quæ villa eſt haud procul Neapoli. Cùmque inter eos, qui aderant, eſſet de virtute quæſtio, dixiſſetque Antonius, ſplendidiſſimum ejus lumen eſſe, præteriens villicus: Neſcio, quàm, inquit, virtus iſta, quam dicis, ſplendeat. Sed certè ſcio, me diutiùs illius contemplandæ deſiderio captum, intueri eam nunquam. Ad quem Antonius: Hæc quidem de aſello, quem per imprudentiam amiſſum nondum reperiſti, dicere poteras. Tu verò dicas, quid putes eſſe in orbe ſplendidiſſimum? Solem, inquit ille. Atqui ſolem cæci non vident: Non vident, reſpondit. Multò ergo ſplendidior eſt virtus, quam etiam cæci quàm apertiſſimè vident. *Pontanus de Principe.*

Virtute Imperatoria.

Lucium Paulum Æmilium imperatorem perhibent, cùm devicto Perſe magnificè apparatum præberet epulum, & cætero ordine mirificè digeſtum, dixiſſe, ejuſdem eſſe, aciem quàm horrendiſſimam inſtruere, & convivium quàm jucundiſſimum. Utrumque enim in ordine ſervando conſiſtere. Et proptereà optimos quoſque & regno digniſſimos, Inſtructores ab Homero populorum appellari. *Plut. l.*1. *quæſt. convivialium* 2.

Prudentia.

Affirmabat Cato, inſanos de prudentibus longè meliùs mereri, quàm econtrà. Quippè ſapientes, ſtultorum erratis inſpectis, vitam in melius mutare. At amentes, cùm diſcendi capaces non ſint, ex ſapientum benefactis fructum percipere nullum poſſe,

Stultitia.

Alfonsus Aragonius, Neapolitanus rex, Scurram in aula habebat, qui cenſoria virgula ſingulorum dicta factaque notabat, & tabellis deſcripta principi ſtato tempore offerebat, judicio ſuo adſcripto, quodnam ſibi ex omnibus ſtultiſſimum videretur. Accidit, ut rex Maurum ſervum fideliſſimum cùm magna vi auri in Africam ablegaret, equorum comparandorum cauſa. Id factum ſcurra literis mandatum, nil minùs expectanti regi in hæc verba recenſuiſſe dicitur: Alfonſus rex Chriſtianus Mahumetanum Pœnum, aliquot aureorum millibus onuſtum, ad Mahumetanos dimiſit. Exitus acta probabit. Ego verò, ſi bona fide revertatur, Maurum ſtultiſſimum, Alfonſum ſapientiſſimum: ſi non revertatur, quod probabilius eſt, Alfonſum ſtultiſſimum, Maurum ſapientiſſimum, pro ea, qua polleo, cenſoria auctoritate, pronunciare non verebor. *Ægidius Corrozetus de dictis & factis mem.*

Fortitudine.

Themistocles rogatus, Achilleſne, an Homerus eſſe mallet? Et tu, infit, ipſe victor malles Olympiis, an proclamans victores eſſe præco? *Plut. in Apopht.*

Leonidas rogatus, cur optimus quiſque nobilem mortem ignobili vitæ præferat? Quoniam, inquit, illud naturæ proprium, hoc ſui ipſius putant eſſe. *Idem.*

Seuxidamus Ætolo, qui dixerat iis, qui ſtudent eſſe viri fortes, potius bellum pace eſſe: Bona verba, inquit, verùm potior his mors eſt vita. *Idem.*

Agesilaus interrogatus, Utra virtus præſtaret, fortitudo an juſtitia? Fortitudinis demonſtravit, ubi abeſt juſtitia, nullum eſſe uſum. Quòd ſi omnes juſti eſſent, fore ut non requireretur fortitudo. *Idem.*

Temeritate.

Augustus eos qui levem ob cauſam periculis ſe exponerent, ſimiles ajebat eſſe aureo hamo piſcantibus, qui plus damni amiſſo ſemel hamo acciperent, quàm multorum piſcium captura poſſet reparari. *Polyæn. lib.*8.

Erat in aula Matthiæ regis Ungariæ Polonus miles, qui ſæpè Ungaros ad luctam, ad pugnam evocarat, multoſque ſæpè vicerat; ſed jactantia nimia odioſus. Stabat in ferratis clauſtris immanis leo: Quis eſt, inquit Polonus, qui famelico leoni auſit carnem auferre, quam ore comprehenderit? quum nemo auderet, cernetis, inquit, quòd dico. Illi fame per diem excruciant leonem, poſtera die ovem objiciunt quadripartitam. Leo immurmurat, apprehenſæ carni incubans. Polonus ingreditur, & leonem jam vorantem, divaricatis cruribus conſtrictum, pugno ferit in rictum, dicens, Offam dimitte canis. Vocem intrepidam leo exhorruit, exeuntemque viſu ſolo ſequutus eſt. Audax facinus quum ad regem perferretur, non probavit, evocatumque Polonum, pro more donatum, domo ſua juſſit excedere, eum qui venalem ita vitam circumferret, non neceſſariò, ſed ob ſolam jactantiam objiciens ſe periculo, nihil non auſurum propoſito præmio ratus. Phyſici tradunt, leonem ad nullius niſi impavidi hominis vocem contremiſcere. *Cranzius lib.*9. *Saxoniæ cap.*24.

Vitæ cupiditate.

Diogenes Cynicus Corinthi Dionyſium Syracuſanum

intuitus, à Timoleonte Corinthio principatu dejectum, magiſque præſentium voluptatum, quàm priſtinæ fortunæ memorem: Vivis, inquit, ò Dionyſi, tanquam multùm vitæ indigus. *Sab. lib.*9. *cap.*11.

Tiberius Cæſar dixit, Manum medico porrigere eum qui annum exceſſit ſexageſimum, turpe eſſe. *Plutarchus an ſeni tract. reſp.*

Voluptatibus.

Aristotelis eſt utiliſſimum præceptum, ut voluptates abeuntes conſideremus, quàm turpes & abjectæ, quò minus cupidè repetantur. *Val. lib.*7. *cap.*2.

Lupanaribus.

Bohuslaus Haſiſteynus genere & doctrina præcellens cum Pragenſes audiret lupanar publicum incendiſſe: Hoc non eſt, inquit, tollere vitia Veneris, ſed totam urbem malo Veneris ardore implere, ex uno igne ſcintillis per ſingulas domos diſperſis. *Dubravius lib.*31.

Avaritia.

Dionysius ſenior ad Dionyſium F. fortè ingreſſus, ubi conſpexit poculorum aureorum, & argenteorum magnam vim, exclamavit: Non es ad dominatum natus, qui tam multis, quæ à me accipis, poculis amicum tibi nullum comparaſti. *Plut. in Regum Apoph.*

Prodigalitate.

Recitabatur ad menſam Matthiæ Pannonorum regis hiſtoria de Alphonſo Rege Hiſpano & Neapolitano, avo Reginæ Beatrice, ejuſmodi. Vivebat Alphonſus Tyburi: Oeconomus autem regius ſubinde commeabat in forum Romanum: urbs inde milliaribus ſedecim Italicis non magnis diſtat. Quodam autem die orta eſt nobilis, & ambitioſa altercatio inter Oeconomum Regis & Pontificis, qui ſimul ad forum convenerant. Expoſita erat vænum in macello unica muræna, eaque pro natura piſcis, qui quatuor libras nunquam excedit, ſatis grandis. Expetebat eam uterque Oeconomus. Piſcator anſam hanc arripiens: Auferat, inquit, murænam, qui plurimum numorum offert. Pontificius obtulit aureos tres, Regius ſex: rurſus Pontificius decem, Regius viginti. Creſcente altercatione, inquit piſcator: Tollat piſcem qui numeraverit triginta aureos. Obmutuit Pontificius: Regius verò data pecunia, murænam abſtulit. Laudavit factum Oeconomi ſui Alphonſus, illique munera dedit. Matthias finita narratione ſubjecit: Noluiſſem ego Oeconomum, ſi meus fuiſſet, magnificentiam in tali re oſtendere: quod ſi omninò feciſſet, laudaſſem, ſi murænam emptam donaſſet Pontifici, eaque re docuiſſet, Regem ſuum nec gulæ nec avaritiæ eſſe deditum. *In annal. Sileſiæ.*

Luxu Ædificiorum.

Megarenſes olim, cùm eam curiam, in qua Timalti tumulus fuit, inter mira & memoranda ducerent, tandem quid viſendum & mirificum, propter maximas ſubſtructiones, M. quoque Antonio oſtendiſſe dicuntur. Moxque ſciſcitantes, Quid de illa ſentiret? arbitrati mitis illam laudibus ejus teſtimonio celebrandam, futilem & nullius penſi eſſe judicavit. *Alex. ab Alex. lib.*1. *cap.*16.

Chii cùm ex Chio marmore verſicoloribus maculis, urbis muros, tanquam quid mirum, Ciceroni oſtentarent: Magis mirum futurum, dixit, ſi ex Tiburtino marmore illos conſtruxiſſent. *Plut.*

Magnanimitate.

Q. Fabius Max. jam annis gravis ad filium conſulem pro tribunali ſedentem, aſſiſtente magna caterva, equo vehens accedebat. Cui cùm juvenis miſſo lictore juſſiſſet, ut deſcenderet ex equo, erubuerunt alii. At Fabius ex equo deſiliens præter ætatem, properavit ad filium, eumque complexus: Macte conſilio, inquit, fili: Sentis, quibus imperas, & quantæ majeſtatis imperium teneas. *Plut. in Apoph.*

Clementia.

Fratris filium Lycurgi Charillum vel Charilaum, qui Spartæ regnabat, mitem virum ac lenem, cùm laudibus nonnulli ferrent, collega ejus Archidamidas: Qui verò, infit, probus ſit Charillus, qui ne perverſis quidem eſt infeſtus? *Plut. de invidia & odio.*

Cùm Cæſar dejectas Pompeji ſtatuas reponi juſſiſſet: Cicero, Dum Pompeji, inquit, ſtatuas erexiſti, tuas fixiſti. *Plut de Emolumento ex inimicis capiendo.*

Iracundia.

Cato major iraſcentem à furioſo putabat diuturnitate tantùm differre. *Plut. in Apoph.*

Minis.

Polydorus Alcamenis, cùm hoſtibus quidam multùm minitaretur: Non intelligis, inquit, maximam partem exhauſiſſe te ſuppliciorum? *Plut. in Apoph.*

Teſtimonio.

Dicebat Adrianus Cæſar, credendum eſſe teſtibus, non teſtimoniis. Judex enim exercitatus in ſuo munere, prudens & conſideratus, de teſtimonio judicium faciet, conſpecto teſte, ex vultu, conſtitutione, & circumſtantiis aliis innumeris.

Reprehenſione, Caſtigatione.

Demaratus, cùm aſperiùs egiſſet cum ipſo Orontes, dixiſſetque quidam, Tractavit te Orontes aſperè: Nihil, inquit, in me peccavit: Nam qui blandiuntur, non qui agunt acerbè. *Plut. in Apoph.*

Dionysius rex, cùm audiviſſet duos adoleſcentes multa contumelioſè de ipſo & tyrannide ejus inter compotandum dixiſſe, utrumque vocavit ad cœnam. Cùm videret autem alterum ex temulentia petulantem, & multa nugantem, alterum verò modeſtè & cautè bibentem, illum ut natura ebrioſum & ſtolidum dimiſit: hunc verò interfecit, tanquam ex animi propoſito malevolum, & inimicum. *Anton. in Meliſa, part.* 1. *Serm.*53. *& Plut.*

Invidia, Æmulatione.

Agis Archidami filius dictitantibus, certos cum eo ex altera familia regia æmulari. Igitur, reſpondit, torquebunt iſtos propria mala, atque inſuper mea meorumque amicorum bona. *Plut. in Apoph.*

Juvenis etiamnum Themiſtocles, Nihil agere, dixit, ſe præclari; nondum enim invidia laborare. *Plut. de invidia & odio.*

Mendacio.

Epænetus, omnium, ait, mendaces noxarum & maleficiorum architectos eſſe. *Plut. in Apoph.*

Impudentia.

Albertus dux ſuperioris Saxoniæ Lubecam venerat. Placuere illi cuncta, præterquàm larvatus ille diſcurſus fœminarum. Senatum ergo commonefecit, ut abuſum illum antiquaret: qui ut multis alioqui pudicis fœminis præſtaret audaciam, ſic impudicis ſtultitiæ incrementum. Senatus proinde interdixit illum larvatorum diſcurſum. *Crantz. lib.*12. *Saxoniæ cap.*23.

Calumnia.

Recipienti cuidam calumnioſa probra: Deſine, inquit Lacon, aures adverſus me præbere. *Plut. in Apoph.*

Thearidas gladium acuminans, & an acutus eſſet, rogatus, reſpondit, Calumnia acutior. *Plut. in Lacon.*

Modeſtia.

Cato major minimè eſſe invidioſos, qui fortuna civiliter & modicè utantur, aſſerebat: Neque enim nobis, ſed iis, quæ nobis adſunt, invideri. *Plut. in Apoph.*

Scurrilitate, Nugacitate.

Cato major eos, qui in ridiculis eſſent ſerii, in ſeriis dicebat eſſe ridiculos. *Plut. in Apoph.*

Scitum eſt lenis cujuſdam dictum: Non quòd filius ludit meus, malè me habet: ſed quòd reparare damnum ſtudet, vehementer excruciat. Illud enim qui conantur & faciunt ſedulò, nunquam, aliquid ſupereſt, deſiſtunt. Rectè *Horat.*

Non luſiſſe pudet, ſed non incidere ludum.

Plerumque enim aleatores id, quod ſperant, non quod fieri poteſt, ſpectantes, captando capiuntur. *Paſchaſius Inſt. l.*1. *de Alea.*

Loquacitate.

Perſæ nihil fide ſanctius, nihil pulchrius ſilentio, nihil loquacitate deformius eſſe arbitrabantur. Illud vel morte cuſtoditum, hanc morte caſtigari voluerunt.

Chilo Lacedemonius ſapiens dicebat, non committendum ut lingua præcurreret animum: admonens priùs cogitandum, quid loquaris, quàm lingua prorumpat in verba. Idem præcipiebat, linguam cùm aliàs ſemper, tum præcipuè in convivio continendam, quòd illic cibus, ac potus invitet ad intemperantiam. Porrò ubi plus eſt periculi, ibi major adhibenda eſt ratio